John Crawford,
M. D.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

CORN. ALB. KLOEKHOF
MED. DOCT.

DE MORBIS ANIMI
AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI
DISSERTATIO.

TRAJECTI ad RHENUM,

Apud NICOLAUM A VUCHT, GYSB. TIEME A PADDENBURG, ET ABRAHAMUM A PADDENBURG,

CIƆ IƆ CC LIII.

Crawford

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE
2905-6

VIRO CLARISSIMO

HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

MEDICO ET *CHEMICO*,

CORNELIUS ALBERTUS KLOEKHOF.

EST profectò præcipua animi medicina, philoſophia: ſed ſola non eſt. Arctiſſimum, quo cum corpore conjunctus eſt animus, neceſſitudinis vinculum ſæpe hoc efficit, ut alterius mutatione alterum tum adfligatur, tum levetur. Non rarò Philoſophus, æger animo, ut ſibi medeatur omnibus opibus viribus incaſſum elaborat; &, ſi

ſanari vult, auxilium, ut in corporis morbis, illi petendum eſt foris. Nonnunquam, ut animo ritè medicina fiat, corpori ſimul eſt adhibenda curatio.

Luculenter iſta probat egregius Sermo tuus Academicus *de regimine mentis quod Medicorum eſt*. Hæc Oratio, jure celebris, ſatis eſt documento, Te, dum veram philoſophiam adfectas, animum æquè a novandi ſtudio alienum ac libertatis amantem gerere. Et juſtæ ſunt querelæ, queis nobilem hanc, qua de nunc agitur, ſcientiæ medicæ partem ſolam adhuc incultam neglectamque dolenter deploras, Medicoſque ad excolendam medicinalem

iſtam

iſtam philoſophiam inflammas.

Dudum eſt, ex quo latiſſimè patentis argumenti caput unum illuſtrare me poſſe putavi. Id verò dum hoc opuſculo periclitor, in fronte libri nullius nomen lubentius quam tuum inſcribo. Movet me ſpectabilis, quem inter eruditos tueris, locus, tuuſque ad utiliſſimos hoc genus labores excitandi non ſolùm, ſed & exemplo præeundi, præclarus ardor. Accedit veneratio quâ Te quoque fidum olim medendi Præceptorem proſequor, & honorificum tuum de prioribus ſcriptis meis judicium. Sed in primis me movet, quod ante hos tres annos, occaſionem ſin-

gularem nactus, me nec opinantem commendatione & teſtimonio ſingulari ornaſti. Simul enim hoc intellexeram, inceſſit ſtudium accepti beneficii qualecunque monumentum ponendi, quo celebretur candidus tuus & amabilis animus, vel in remotos propenſus, in quos amorem non malè collocatum opinatur.

En igitur opuſculum, gratiæ obſervantiæque meæ Tibi nunquam defuturæ pignus. Vale, Vir celeberrime, & veræ ſapientiæ fines producere tuâque amicitiâ me decorare perge!

Dabam CULENBURGI,
VII. *die Septembris*,
CIↃ IↃ CC LIII.

INDEX CAPITUM.

Procœmium. Pag. 1.
Idea cerebri. Mentis & medullæ cerebri communio. 5.
Norma indagandi morbos abditos medullæ cerebri. 10.
Datur infirmatus tenor medullæ cerebri. 11.
Tenor infirmatus medullæ cerebri preſſè deſignatur. 15.
Proximi effectus infirmati tenoris medullæ cerebri. 16.
Conſecutiones proximorum effectuum infirmatæ medullæ, reſpectu animi. 22.
Conſecutionum recenſitarum ſymptomata, reſpectu animi. 29.
Cauſæ propiores & antecedentes, infirmantes tenorem medullæ cerebri. 31.
Liquorum vitalium immodica egeſtio. 33.
Liquorum vitalium immodica conſumptio. 39.
Liquorum vitalium derivatio. 41.
Partium ſolidarum maceratio. 43.
Partium ſolidarum inertia. 46.
Partium ſolidarum diſtentio. 50.
Partium ſolidarum compreſſio. 59.
Venena. 63.
Imbellis ætatis & ſexus conſideratio. ibid.
Ratio dignoſcendi morbos animi, ab infirmato tenore medullæ cerebri. 65.
Monita ſpectantia cauſas infirmantes tenorem medullæ cerebri, & rationem dignoſcendi morbos animi, hinc natos. 67.
Præſagia in morbis animi, ab infirmato tenore medullæ cerebri. 70.
Ratio præcavendi morbos animi, ab infirmato tenore medullæ cerebri. 77.

In-

Introductio in rationem curandi morbos animi, ab infirmato tenore medullæ cerebri. 84.
Ratio curandi morbos animi, ab infirmato tenore medullæ cerebri, reſpectu habito cauſarum infirmantium. 87.
Ratio curandi directè morbos animi, ab infirmato tenore medullæ cerebri. 112.
Ratio curandi ſymptomata morborum animi, ſeu morbos animi ſecundi ordinis, ab infirmato tenore medullæ cerebri. 117.
Sylva monitionum generaliorum, pro curandis morbis animi, ab infirmato tenore medullæ cerebri. 130.
Mantiſſa. 151.

DE

MORBIS ANIMI

AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI

DISSERTATIO.

PROOEMIUM.

QUÆCUNQUE in cognitionem hominum veniunt, aut ſenſu aut ratione deprehenduntur. Atque ut ſenſilium multa, multis de cauſis, ſenſum effugiunt; ita rationem quoque rationabilium multa prætereunt. Quod cum ita ſit, quisquis ſincerus veritatis amator exſtiterit, nec ab evidenter cognitis, ob ea quæ nondum comperta habet, recedet; nec ob evidenter cognita, his quæ adhuc ſibi incomperta ſunt, accedet. Qui verò talis non eſt, vel incognitarum rerum gratiâ de cognitis dubitat; vel cognitarum cauſâ incognitis aſſentitur. In primum inciderunt Sceptici: in ſecundum plerique illorum qui Dogmatici nominantur. Verus hic & plauſibilis GALE-

NI ſermo (1) hodieque perſtringit ſyſtematum fabros præcipites, leve hominum genus: ſed perſtrinxiſſe cenſendus non eſt illos, qui ſeveriore ratiocinio, ex iis quæ ſenſui aut rationi evidentia ſunt, de rebus affinibus obſcurioribus conjecturam facere, vel judicium quoddam ferre, ſuſtinuerunt. Eò enim omnes natura ducit: idem jucundum ſemper, nec rarò utile, quin & neceſſarium eſt.

Quippe ſentiunt attenti, lumen ex detectâ quaque veritate menti natum ſimul diluculum eſſe, cum quo in cognitionem propinquæ veritatis eatur. Et ſanè labor infinitus eſſet inveſtigandi ſingula: ſed præcedens ratiocinatio quâ ſimilia ſimilibus accenſere proni ſumus, onus illud levius reddit. Mens humana facilius retinet & cum aliis communicat themata quorum omnes partes cognitione ſe complecti credit: in imperfectâ thematis notitiâ ægre ſolet acquieſcere. Prior ætas probabilitate ſolâ ducta quoties præcepit fructum inventi poſterioris? Et ut in vitâ communi, ſic in medicinali arte, plurima ſunt ſummi momenti, in quibus mera probabilitas credendorum & agendorum normam jure præbet.

Du-

(1) *Lib. An ſanguis in arteriis naturâ contineatur? Cap.* V.

Dubium, fateor, ſemper habet hujusmodi judicium. Sæpe dies, quod diximus, hæc præjudicia confirmat: ſed & ea delet interdum, nec perfunctoriè lata. Nullus eſt Dogmaticorum quem nunquam fefellit captioſa probabilitas: ipſum etiam GALENUM, vitandorum hic errorum artes ex profeſſo tradentem, plus nimis fefellit.

Nihilo tamen minus huic viæ Viri magni plerique omnes ob indicatas rationes inſtiterunt, nec errandi periculum detrectarunt. In dignoſcendis & curandis morbis, illâ præ cæteris momentoſâ Medicinæ parte, novos aut abnormes tectæ indolis reducimus ad notas ſpecies ſimillimas. In indaganda partium fabricâ & actione laxiora etiam judicii fræna ſunt. „ Ut ſenſibilia, „ ſic inſenſibilia, in corpore humano", regula habetur.

Et ſanè quis temperat quin exiſtimet, unumquodque utcunque exiguum inſtrumentum, vas, fibram, iisdem mutationibus ſubjacere ac quæ in ſimili majore inſtrumento, vaſe, fibrâ, ſenſibus deprehenduntur; particulam liquoris utcunque ſubtilis adfectionibus iisdem obnoxiam eſſe in ſuo genere, atque eſt particula conſpicua liquoris ſenſibilis.

Promulgati erroris prævifus dolor, levitatis odium, & cura famæ, valebunt ad re-

frænandam opinandi libidinem. Magnanimum humana commoda promovendi propoſitum reſecabit argutias & nimiam ſubtilitatem. Verum tamen e ſimilitudine de obſcuris ratiocinandi jus, puto, dabit aut neceſſitas, aut magna utilitas, aut multa probabilitas: donec forte comperta verior ſententia, nec invito prioris fautore, priorem deleat.

Hujusmodi viciſſitudo ſententiarum, quæ humanæ mentis eſt imbecillitas, bonis nonnunquam evenit, vel in iis quæ certa habent. Pulchre Comicus (1):

Nunquam ita quisquam bene ſubductâ ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus, ſemper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat; ut ea quæ te ſcire credas, neſcias;
Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.

Eadem, mutato nomine, de Medicinâ dicta erunt.

Hac præmunitione cauſæ uti viſum eſt diſſertaturo DE MORBIS ANIMI AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI. Hinc conſtare poterit ſcripti cauſa

(1) TERENT. *Adelph. Act.* V. *Sc.* IV.

cauſa & ratio: tum quo loco probabilia certis hìc miſta habenda poſtulem.

IDEA CEREBRI. MENTIS ET MEDULLÆ CEREBRI COMMUNIO.

'ΕΓΚΕ'ΦΑΛΟΣ viſceris rationem habet, aut inſtrumenti quod liquori certo ſecernendo deſtinatur.

Cerebri corticem arteriæ & venæ ferè conſtituunt, quarum illæ materiem ſpirituum cerebri & nervorum adferant præparentque, & medullæ continuentur.

Medulla cerebri corticem & nervos inter media fabricam & indolem ut a cortice diverſam ſic neque cum nervis, vel quà ei proximè ſunt, unam habere videtur. Medullam nihilominus tubulatam habemus, ut arteriis corticis ſic caudici ſuo & nervis, pariter tubulatis, continuam. Ea oculis quidem apparet ὁμογενὴς: ſed memoria veteris doctrinæ de partibus ita habitis nos cautos reddit, ne temere id quaſi certum adfirmemus.

Nihil a corporis cognitis proprietatibus non diverſum in mente humanâ detegimus. Attamen illa in ſuum corpus agit: hoc in illam. Communes omnibus hominibus

mentis actiones exercentur interventu quodam medullæ cerebri: nominatim perceptio idearum, imaginatio, attentio, memoria, judicium, ratiocinatio, voluntarius motus muſculorum. Affectiones mentis pariter interventu medullæ cerebri fiunt.

Amplitudo medullæ cerebri, ut cerebellum mittam, in ſuo principio cortici continuo longiſſimè excedit amplitudinem caudicis ſui nervorumque, in ipſorum principio, ſimul ſumptorum. Partes medullæ ſunt multiformes, latente formæ cauſâ. Medulla cerebri non minorem confert operam in actiones mentis a ſenſibus externis & motu muſculorum arbitrio obſequentium diſtinctas, quam in hos ipſos ſenſus motumque. Eſt ubi poſt convulſionem, vel externam vim cerebro illatam, læſæ manent actiones animi cæteræ, ſenſibus externis & motu voluntario integris. Hæc cuncta ſuadent diſparem eſſe partium medullæ conditionem, ut una ſerviat ſolis actionibus mentis a ſenſibus externis motuque voluntario diſtinctis & intra medullæ compagem tota terminetur, altera ſimul his ipſis ſenſibus motuique ſerviat & in nervos producatur.

Tenuiſſimus liquor per tubulos ſubtiliſſimos ſeu ſtamina tubulata medullæ cerebri & nervorum permanans, ſpiritus cerebri & nervorum dictus, videtur ea ſtamina vi-

va

va & vegeta ſervare, nutrire, forte & fibrillas muſculorum acturorum plus ſolito implere: atque ita munus ſuum ad actiones animi abſolvere.

Scilicet in explicatione medicâ actionum animi, ad quarum exercitium corpus operam confert, nunquam oportet ſeparare medullam nervosque a ſpiritibus. Prorſus ut calor & motus vitalis ponunt cor & arterias cum ſanguine conſpirare. Veruntamen in operâ corporeâ ad exercitium actionum animi præſtandâ primas partes ſolidis tribuimus, nec niſi ſecundas fluidis, argumentatione ſequenti.

Mens humana ſuo arbitrio editura modum quendam cogitandi, dum agit in partem medullæ huic cogitandi modo ſervituram, ſtamina ibi primùm, non ſpiritus iis contentos, mutare credenda eſt. Stamina medullæ ſtabilia ſunt. Semper movetur ſpiritus; a poſteriore prior ſemper propellitur: inhabilis ergo cui imprimatur mutatio duraturum præſtitura effectum.

Mens humana editura motum voluntarium, dum agit in partem medullæ producendam in nervum muſculo movendo inſertum, & ibi primum ſtamina mutare credenda eſt ob eandem rationem, & ob compertam vim inſitam motricem fibrillarum in muſculis, quæ ſtaminibus nervorum affines ſunt.

Mutatio medullæ motui ſervientis, ſic nata, per ipſum nervi corpus præcipuè propagari videtur.

Mutatio nervi ab internâ vel externâ cauſâ, ideam menti præſtitura, magis etiam principe loco videtur propagari per ipſum nervi corpus & ſolida medullæ ſtamina. Sanè prima mutatio ipſi nervo imprimitur; ultima medullæ ipſi contingere creditur, quoniam erroneus liquor perceptioni ſtabili ſuggerendæ videtur inhabilis.

Pulpoſa medullæ ſtamina, & nervi longi, molles, inflexi, propagandæ mutationi impreſſæ minus apti putentur. Sed vel major intelligitur ineptitudo liquoris quem continent. Liquor ille motum impreſſum ſtatim in mollibus vicinis perdere neceſſe habet, niſi hic ab origine nervi ad finem, aut a fine ad originem, per ipſa ſtaminum corpora ſuſtentetur.

Quæ ſi vera ſunt, probabile fuerit modos cogitandi, motusque alioquin voluntarios, præter arbitrium, a cauſâ corporeâ in cerebrum agente natos, pariter a mutatione ſtaminum medullæ præſertim pendere.

Ut adeò communio mentis & corporis humani proximè fiat per ſolidam cerebri medullam nervosque: & communio medullæ nervorumque mutua pariter per ſolidam utrorumque compagem præcipuè fiat.

Cujus-

Cujusmodi communionem cordis cum arteriis ſtatuebat GALENUS.

Atque iſta ſuadent, nervum cerebro oriundum duplicem uſum generatim præbere: ut cavo ſuo liquorem medullæ aſſiduo recipiat transmittatque: & ut ſuo imprimis corpore propaget mutationem a mente impreſſam medullæ; viciſſimque mutationem ab internâ vel externâ cauſâ ſuo pariter corpore imprimis communicet cum totâ ſuâ compage ſupra & infra locum mutatum, cum nervis & nervorum plexibus vicinis, cum medullâ cerebri, & per hanc cum ipſa mente.

An autem & quædam proxima mentis eſt communio cum nervis ipſis vivis, quamdiu medullæ continui ſunt, unde quoque pendeat promptitudo ſenſuum, & motuum arbitrio ciendorum? Erramus ſanè ſimulac vel tantillum ultra experimenta ſapimus in doctrinâ de ſede, quam vocant, animi. Et motrix quædam facultas fibris nervorum ineſt. Medulla ſpinæ oſſeæ, quâ parte naſcitur e pulpâ corticem cerebri referente, quam ipſa continet, quantam difficultatem parit quærenti ſedem animi in ſolâ medullâ cerebri! Communionis a DEO ſtatutæ, homini inacceſſæ, effectibus caſtè obſervatis, gradum ſiſtamus par eſt.

NORMA INDAGANDI MORBOS ABDITOS MEDULLÆ CEREBRI.

MEDULLA cerebri oculo apparet ὁμοιομερὴς. Stamina ejus nullo ſenſu, nulla arte, diſtingui poſſunt. Itaque plurima ejus vitia eſſe queant, quæ ſenſum omnem fugiunt. Et revera turbato toto nervorum genere medulla nonnunquam inculpatam ſpeciem præbet. Attamen norma eſt quâ ratio adſequitur partem horum vitiorum ſenſus fugientium.

Nam certè medulla cerebri eſt pars ſolida corporis humani: ergo licet Medico ex generali hac ideâ morbos ejus eruere. Ἐγκέφαλος viſceris rationem habet aut inſtrumenti quod liquori certo ſecernendo deſtinatur: eapropter medullæ morbi æſtimari poſſunt ex communibus morbis aliorum viſcerum & inſtrumentorum ſecernentium, qua parte ſecreto certo liquori vehendo & perficiendo ſerviunt. Denique continua ſunt partim & fabricâ atque indole affinia, partim functionibus invicem connexa arctiſſimè, medulla cerebri, nervi, fibræ muſculorum, & tendinum fibræ: idcirco adfectiones medullæ cenſeri fas eſt ex univerſalibus adfectioni-

ctionibus perſpectis partium quas poſteriore loco diximus. Par autem ratio eſt ſtaminum medullæ quæ in nervos producuntur, & eorum quæ intra compagem ipſius medullæ terminari ponuntur.

E morbis, quibus meditatio hæc ſubtilior medullam cerebri obnoxiam eſſe deprehendit, penſum nobis eligimus tenorem medullæ infirmatum, ut animi morbos inde oriundos pertractemus. Tenorem vocamus vim, quâ elementa ſolidæ partis mutuam cohæſionem ſervare nituntur.

DATUR INFIRMATUS TENOR MEDULLÆ CEREBRI.

ANIMALIA claſſium diverſarum corpora flexilia & rigida, ſtricta & laxa, comparatè habere dicuntur. Idem de animalibus ejusdem claſſis, atque in unaquaque eorum ætate, & ſexu, verum eſt. Multa minutiſſimorum animalculorum muci mollitiem habere nos judicamus, quibus tamen ſingulis ſuæ partes firmæ ſint, æque ac homini, neceſſum eſt. Juſtè mobilis homo cum pantomimo collatus rigidi ſpeciem habet. Morboſus rigor ſolùm eſt ferendæ juſtæ flexionis ineptitudo, & contra. Rigor fibrarum elongari renuentium adulto natu-

naturalis, morboſus puero eſt. Et muliebris mollities viro.

Singulæ partes ſolidæ uniuscujusque animalis flexiles & rigidæ, ſtrictæ & laxæ, molles & duræ, tenſæ & remiſſæ, comparatè vocantur. Oſſa rigida dicuntur, cutis laxa.

Solida quæque pars animalis flexilis & rigida etiam dicitur comparatè ad ſtatum quem vitæ uſus in eâ poſtulat. Unicuique earum congruit qualitas hujusmodi definito gradu, nec excedente modum. Duris partibus nimia durities, mollibus mollities nimia in vitio eſt. In rheumatismo crepantes ad motum articuli monſtrant oſſa olei defectu nimis obriguiſſe. Cute ultra modum laxâ tumor naſcitur, ut ſolutâ fungus.

Ergo quædam laxitas rigidis, laxis quidam rigor eſt. In utriusque moderamine ſolidæ cujusque partis tenor naturalis conſiſtit, ad perfectam partis actionem requiſitus.

Et qui tenoris gradus in una parte rigor morbidus cenſetur, in aliâ laxitas damnoſa eſſe poteſt. Qui in venâ nimius, is in arteriâ infirmatus tenor erit.

Hujusmodi rigoris & laxitatis ratio comperitur in partibus omnibus majoribus humani corporis, quas evidenter cognoſcimus. Par ratio obtinere judicatur in minutis,

tis, quarum cognitio nobis evidenti propinqua eſt. Sic fibrillæ nervorum qui ad auditum faciunt, ordinatæ ad ſeptum cochleæ, utut pulpoſæ, tamen aptè tenſæ poſtulantur. Oſcula vaſculorum ſtillantia rorem cerebri ventriculos humectantem, & ſeparantem meninges, apte laxa deſiderantur. Sed priorum majuſcula tenſio nimis tenerum auditum facit, poſteriorum majuſcula laxitas aquarum intra cranium colluviem. Quoniam autem morbi medullæ cerebri æſtimantur è morbis generalibus partium ſolidarum, tutò hìc è ſenſilibus, iiſque quorum cognitio nobis evidenti propinqua eſt, de inſenſilibus judicare nos poſſe videmur, & ſtatuere, ſtaminum medullæ cerebri tenorem certum eſſe, cujus infirmatio morboſa ſit.

Tubulis viſcerum & inſtrumentorum ſecernentium qui certos liquores ſecretos vehunt & perficiunt, certus tenor aptus eſt. Nam interdum ſtricti ſunt, aut laxi nimis. Urinæ nimia profuſio, ejuſdemque ſuppreſſio cum dolore lumborum in ægritudine dictâ hyſtericâ, id de renibus ſuadent. Alvus fluens in languidis, & dura in rigidis, de hepate, pancreate, & glandulis inteſtinorum idem innuit. Sputa ſuppreſſa & redundantia rem de pulmone veram eſſe probant. Semen, lachrymæ, ſaliva, cerumen,

men, morantia vel diffluentia, de teſtibus, ac glandulis oculorum oris & aurium, paria indicant.

Quum vero morbi ſtaminum medullæ æſtimantur ex morbis communibus horum tubulorum, jure videmur concludere, ſtaminum medullæ cerebri certum tenorem eſſe, cujus infirmatio morboſa ſit.

Nervis, fibrillis nervorum, fibris muſculorum, & tendinum fibris, certus tenor aptus eſt. Cerebro tantulum elevato, elongari, tenuari, diſtendi, violari, rumpi, cernuntur nervorum paria duræ meningis vaginas ingreſſura. Nervus qui ad viſum facit, idemque in retis formam in oculo expanſus, juſto durior & tenuior repertus eſt, occæcans oculum. De fibrillis nervi qui ad auditum facit, ad ſeptum cochleæ ordinatis, modò diximus. Convulſio & reſolutio, ariditas relaxatio & elongatio, quæ fibris muſculorum & tendinum accidunt, tenorem nimium aut infirmatum ponunt.

Et quandoquidem adfectiones medullæ cenſentur ex univerſalibus adfectionibus perſpectis harum partium, vero ſimile videtur, ſtaminum medullæ cerebri certum tenorem eſſe, cujus infirmatio morboſa ſit.

Conſideratio autem argumentorum horum cunctorum ſinit illam propoſitionem quaſi veram admittere.

TE-

TENOR INFIRMATUS MEDULLÆ CEREBRI PRESSE DESIGNATUR.

STAMINUM medullæ tenor infirmatus eſt, qui deficit a tenore, qualis, in certâ ætate aut ſexu, plerumque & ſecundum naturam obtinet. Stamina pueri & feminæ, ſi ad adultum & marem ſpectas, infirma erunt, quæ tamen ut in puero & feminâ juſtum tenorem habeant. Prorſum ut in muſculis & oſſibus & cæteris partibus ſolidis notatur. Nam ſtaminum medullæ tenor æquâ proportione ſit ad tenorem aliarum partium, congruens eſt.

Temperies dicta corporis, unicuique propria, rarò & vix mutabilis pariter adfert tenoris diſcrimen, & id ſæpe ingens, hìc attendendum. Viragines viris appropinquant. Ergo morboſus erit viragini tenor, qui virgini, pro more teneræ, naturalis eſt.

Quare & ætatis & ſexus & temperiei habenda ratio eſt, priusquam infirmi tenoris effectus & conſecutiones in morbis cenſeantur.

Eſt autem tenor juſtus nimius aut infirmatus, vel ſolius medullæ cerebri, vel eſt communis huic cum aliis aut cunctis partibus.

bus. Omnino ut pulmo ſigillatim inculpatus eſſe poteſt, vel communi incolumitate frui: & contra, ſigillatim infirmatus aut rigidus eſſe, vel communi debilitatis aut rigoris vitio laborare.

PROXIMI EFFECTUS INFIRMATI TENORIS MEDULLÆ CEREBRI.

SI morbi abditi medullæ cerebri jure cenſentur ex morbis generalibus perſpectis partium ſolidarum univerſim, tubulorum ſecretos liquores vehentium, nervorum, & fibrarum, jure quoque proximi effectus morborum medullæ cenſentur ex effectibus proximis perſpectis generalium morborum qui memoratas partes affligunt. Paris cauſæ par effectus eſt. Itaque hanc normam porro obſervemus.

Effectus infirmati tenoris partium ſolidarum generalis & proximus eſt earum juſto facilior flexio, quâ ultra modum cedunt impreſſioni factæ, & facile ſolvuntur. Sunt quibus oſſa infirmata ceræ inſtar flexilia ſint & ſciſſilia, levi momento rumpenda. Prorſum infirma actio & facillima luxatio fit in teneris, quorum ligamenta nimis obſequioſa ſunt. Ab infirmato tenore vaſorum profluvia

fluvia ſanguinis & effuſiones in membranam quæ oleum continet, varices, aneurismata. A peritonæi debilitate herniæ. A vinculorum laxitate tendinum e ſuis locis egreſſus.

Ergo proximus effectus infirmati tenoris medullæ cerebri erit ſtaminum flexio juſto facilior, quâ nimium cedunt impreſſioni factæ, facile violantur & deſtruuntur.

Effectus infirmati tenoris tubulorum liquores ſecretos vehentium generalis & proximus, eſt juſto facilior eorum dilatatio quâ liquores nimios & ineptos admittunt. Urinæ nimia profuſio, ſanguinis & muci perennis fluor ex utero, gonorrhæa dicta ſimplex virorum, tubulis hujus generis poſt inertiam & abuſum tepidæ nimis dilatatis ſæpe jure adſcribitur. In gravedine ac diſtillatione, ubi coctio facta eſt, glandulæ relaxatæ narium & aſperæ arteriæ ſtrias etiam ſanguinis edunt. Oculorum glandulæ morbis debilitatæ moleſtum laticem affatim plorant. Inflammatio errore loci nata in laxis rem illuſtrat.

Ergo proximus effectus infirmati tenoris medullæ cerebri erit juſtò facilior ſtaminum dilatatio, qua liquorem nimium & ineptum admittunt.

Alter effectus generalis infirmati tenoris eorundem tubulorum eſt juſtò facilior eorum compreſſio, quâ excluditur liquor ad-

mittendus. Glandulæ relaxatæ narium & aſperæ arteriæ mucum craſſum & ſtrias etiam ſanguinis edentes inflammatione recrudeſcente ſubitò conſtipantur, ut vel nihil, vel parum liquoris tenuis, edant. Virulenta gonorrhæa inflammatione recrudeſcente ſimiliter ſiſtitur. Ad eundem modum ſe res habet in omni perſpicuâ inflammatione. Redundantia boni ſanguinis vel agitatio redundantiæ partes agens, menſtrua, ſudorem, urinam, lachrymas, exanthematum materiem, remorans, quoque magno rei argumento eſt. Nempe flaccidis tubulis amandatorum liquorum vectoribus plenitudo vaſorum vicinorum vel citius eos arctatura percipitur.

Ergo generalis effectus infirmati tenoris medullæ cerebri erit juſtò facilior ſtaminum compreſſio, quâ excluditur liquor ipſis deſtinatus.

Tertius effectus eſt tubulorum collapſus facilis, quo nihil admittitur. Languentes & velut obfuſcati oculi a corneâ membranâ minus lætè pellucidâ minusque protuberante his qui longo aut gravi morbo exhauſti ſunt, ponere videntur aqueum liquorem non ritè renovari, collapſis oſculis vaſculorum hiantium in omni ſuperficie partium oculi internarum quæ ſunt ante corpus vitreum & cryſtallinum. Credibile eſt vulnera, ulcera, fiſtulas, in effœtis corporibus tan-

tandem æquè areſieri ob collapſum vaſculorum, ſerum, pus, aut affinem liquorem fundentium, ac ob exhauſtam horum materiem. In animi deliquiis æquè fit exſucca ſumma corporis facies a ſoluto tenore & collapſu vaſorum omnis generis, atque a remiſſo impetu liquorum a tergo prementium.

Ergo effectus infirmati tenoris medullæ cerebri erit ſtaminum collapſus facilis, quo nihil admittunt.

Quartus effectus eſt minor tubulorum in contentum liquorem renixus, quo ſtagnat is & accumulatur. Teneris & mollibus adipoſa membrana oleum accumulat. Languentis ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, glandulæ ſæpe tument, & deglutito vel applicato ſtimulo nec purgante detumeſcunt. In aurium glandulis, & aliis, ſæpe ſimilis ratio eſt. Infarcitur debilis pulmo: cantharidum inter ſcapulas poſitarum ſtimulo potenter expeditur. A validiori parte mitti liquores in infirmiorem hinc gravandam, plurima veterum doctrina eſt.

Ergo effectus infirmati tenoris medullæ cerebri erit minor ſtaminum in contentum liquorem renixus, quo ſtagnat is & accumulatur.

Effectus generalis & proximus infirmati tenoris nervorum & fibrillarum in quas nervus depoſitâ ſuâ craſſiore tunicâ dirimitur,

eſt eorum nimia teneritudo vel hebetudo in excipiendo & multiplicando motu, quam irritabilitatem vocamus. De fibrillis nervorum auditui ſervientium, ad ſeptum osſeum cochleæ ordinatis plus ſemel locuti ſumus: argumento ſcilicet ad hanc rem apprimè facienti. In aquoſo languore plumbeæ gravitatis ſunt artus & hebes ſenſus. Balneis aquoſis fotæ partis ſenſus obtunditur, dolor ſopitur, contractiones relaxantur. Olei fatui eadem vis eſt. In ſummâ debilitate ſæpe ſumma ſenſuum omnium & moleſtiſſima teneritudo: ſæpe mobilitas totius corporis non refrænanda. Reſolutio quædam & quædam convulſio ferè promiſcuè cernuntur in morbis acutis affectis. Validiſſimi ſtimuli ad origines nervorum ſingularium applicati, ſenſum & motum reſtituendo, ſuadent prægreſſam ſentiendi & movendi difficultatem infirmato tenori nervorum imputandam eſſe. Remedia quæ roborant, morboſam ſenſuum teneritudinem & nimiam corporis mobilitatem frequenter corrigunt.

Ergo effectus generalis & proximus infirmati tenoris medullæ cerebri erit ſtaminum juſto major vel minor irritabilitas.

Effectus generalis & proximus infirmati tenoris fibrarum in muſculis & tendinibus eſt juſto major earum vel minor irritabilitas. Ventriculus debilis alimenta diu retinet, & in corrup-

ruptionem eorum cuique propriam ſinit tendere: aliàs ingeſta vomitu reddit ocyus. Inteſtina infirmata ſegnem alvum, duram, & tumentem faciunt: aliàs cibum potumque ſine morâ exprimunt. Ventriculus & inteſtina debilitata purgantibus ſolitò promptius vel tardius auſcultant. Cor infirmum languet aut palpitat. Aſpera arteria his, qui debili ſunt pulmone, nonnunquam ſtimulo eget quo cumulatam pituitam expellat: interdum tenera nimis eget remedio ſtupefaciente quo tuſſis compeſcatur. Infirmorum omnes muſculi fere languent aut tremunt. Idem de ſenibus verum eſt: & de convaleſcentibus. Palpitationes muſculorum & aſſultus tendinum in his qui morbo aliquo fracti ſunt, ſæpe etiam debilitati ipſorum muſculorum & tendinum videntur adſcribenda.

Ergo effectus generalis & proximus infirmati tenoris medullæ cerebri erit ſtaminum juſto major vel minor irritabilitas.

Summatim; proximi effectus infirmati tenoris medullæ cerebri erunt: ſtaminum flexio juſto facilior, quâ ultra modum cedunt impreſſioni factæ, facile violantur, & deſtruuntur: juſto facilior eorundem dilatatio, quâ liquorem nimium & ineptum admittunt: juſto facilior compreſſio, quâ excluditur liquor ipſis deſtinatus: collapſus facilis, quo nihil admittunt: minor in conten-

tum liquorem renixus, quo ſtagnat is & accumulatur: nimia teneritudo vel hebetudo in excipiendo & multiplicando motu, quam irritabilitatem vocamus.

CONSECUTIONES PROXIMORUM EFFECTUUM INFIRMATÆ MEDULLÆ, RESPECTU ANIMI.

CONSECUTIONES proximorum horum effectuum reſpectu animi, ſunt læſiones actionum animi, ad quarum integritatem facit naturalis cohæſio, renixus, ſtabilitas, ſtaminum medullæ; juſta eorum teneritudo ſeu irritabilitas; denique naturalis copia, qualitas, libertas, ſpirituum cerebri. Sed ſolidorum vitiis inhærebimus. Et quidem ſtaminum flexionem juſtò faciliorem, cum irritabilitate tum auctâ tum imminutâ, ſolam proſequemur.

Stamina medullæ cerebri flexilia nimis & ſimul irritabiliora perceptionem idearum juſto vividiorem efficient: imaginationem luxuriantem producent: attentionem volubilem dabunt: memoriam labilem facient: judicii rectitudini inimica erunt: ratiocinii caſtitati adverſabuntur: motus muſculorum arbitrio

ob

obſequentium nimium citatos reddent: affectiones animi ſeu perturbationes incitabunt & acuent.

Perceptio objecti ponit mutationem certorum ſtaminum medullæ, natam a mutatione ſenſuum inſtrumentis impreſſâ, & a fine nervorum ad ipſorum origines propagatâ. Perceptionis hujus acies reſpondet gradui mutationis ſtaminibus medullæ per nervos communicatæ. Gradus mutationis quæ ſtaminibus accidit, pendet ab intentione actionis in inſtrumentum ſenſus, per nervum propagatæ, & ab irritabilitate ſtaminum mutationem ultimam excipientium. Ergo nimis flexilia ſtamina quæ ſimul irritabiliora perceptionem objectorum juſto vividiorem efficient.

Imaginatio, ſeu abſentium rerum ſenſibus perceptarum nova & multiformis repræſentatio, ponit mutationem ſtaminum medullæ, qualis ab objecto in inſtrumentum ſenſus agente olim nata fuerat, a mente vel ab internâ conditione corporeâ, reſuſcitatam. Vigor imaginis denuo repræſentatæ pendet a cauſæ reſuſcitantis robore, & ab irritabilitate ſtaminum renovatam mutationem ſuſcipientium. Ergo ſtamina flexilia nimis & irritabiliora ſimul, imaginationem fertilem nimis & vividam producent.

Attentio ponit ſtamina medullæ permane-

re in eodem ſtatu, quem ipſis actio objecti, vel interna conditio corporea, vel mens, principio comparaverat. Hæc conſtantia pendet ab intenſione & duratione cauſæ mutantis, ab arbitrio, ab aptitudine ſtaminum mutationis impreſſæ tenacium, a quiete ſtaminum cæterorum, mentem ab ideâ præſente ad novam non avocantium. Ex utroque hoc poſteriore capite ſtamina flexilia nimis & ſimul irritabiliora volubilem attentionem dabunt.

Memoria ponit ſtaminibus medullæ inhærere quandam conditionem ab objecto in ſenſus inſtrumentum agente, vel ab internâ cauſâ corporeâ, vel a mente, ſtamina mutante, relictam, quâ fiat ut priſtina mutatio renovatâ primâ cauſâ, vel occaſione ideæ affinis, vel ad animi nutum, facillime redintegretur, cum conſcientiâ ſimilis ideæ, ac quæ nunc eſt, olim perceptæ: Quo poſtremo ab imaginatione differt. Innumera quidem ſunt quæ memoriâ homo tenet, & multo magis etiam quæ imaginatio ſuggerit. Sed numerus eorum quæ in amphibleſtroïde tunicâ, uno intuitu, ſimul pingi novimus, vetat idearum copiam quantamcunque impedimento eſſe ſententiæ, quâ, ad ſingula imaginationis & memoriæ objecta, ſingularis conditio certis ſtaminibus inhærens ſtatuitur. Temerarium ſit in ſubtilitate tam delica-

licatâ, atque hìc offendimus, hujusmodi conditionem velle definire. Veruntamen ſtatuere fas eſt, ſtamina medullæ quà ad memoriam faciunt, æque certi tenoris eſſe oportere, ac quà aliis mentis actionibus miniſtrant. Conditionis, qualis ea cunque, relictæ conſervatio tam fida ut animus ſentiat ideam præſentem non diverſam eſſe ab dudum præteritâ, poſtulabit ſtabilitatem juſtam ſtaminum conditione hac utentium. Ergo ſtamina nimis flexilia, dum alias atque alias conditiones citius accipiunt, memoriam labilem facient. Volubilis attentio in irritabilitate nimiâ ſtaminum, debilitati junctâ, ſimul officit conſtantiæ idearum & diſtinctioni, ad memoriam utili.

Judicium, ſeu relationis inter ideas mutuæ perceptio, ponit ideas claras diſtinctasque menti cum quadam conſtantiâ repræſentatas. Idearum conſtans & clara repræſentatio ponit certa medullæ cerebri ſtamina manere in eodem ſtatu, quem ipſis objectum, vel mens, vel interna conditio corporea, principio comparaverat. Hæc ejusdem ſtatus conſtantia pendet etiam ab aptitudine ſtaminum impreſſæ mutationis tenacium. Ergo ſtamina flexilia nimis & ſimul irritabiliora judicii rectitudini inimica erunt.

Ratiocinatio, ſeu judiciorum, quæ modò dicebamus, diſpoſitio & contemplatio

pro formanda concluſione, judicii magis compoſiti rationem habet. Ponit ergo propoſitiones, ſeu judicia ſimpliciora, diſtincta claraque menti cum quadam conſtantiâ repræſentari. Propoſitionum ſeu judiciorum clara & conſtans repræſentatio ponit complexam idearum collatarum repræſentationem conſtantem eſſe. Complexa collatarum idearum repræſentatio quæ ſit clara & conſtans, ponit certa medullæ ſtamina retinere conditionem a primâ mutatione, ſingularium idearum genitrice, relictam, quæ ſufficit ut propoſitio ex harum comparatione elicita menti clare obverſetur. Hæc conditionis ejus conſervatio poſtulabit ſtabilitatem juſtam ſtaminum conditione hac utentium. Ergo ſtamina flexilia nimis & ſimul irritabiliora ratiocinii caſtitati adverſabuntur. Et quidem illa nimis flexilia citius alias atque alias conditiones accipere capiuntur: juſto autem irritabiliora ea attentioni, judicio, ratiocinio, officere intelliguntur, ad ſimilem modum quo rapidus objectorum oculis obverſantium motus, aut in amphibleſtroïdis tunicæ morbis idem apparens, viſui officit; & ut ſoni rapidè ſeſe mutuo excipientes auditui obſunt.

Motus muſculi arbitrio obſequentis ponit mutationem certorum ſtaminum medullæ, inde ab origine horum, per nervum, ad muſcu-

muſculum cui hic inſeritur, propagatam. Celeritudo motus muſculi, cæteris paribus, reſpondet gradui mutationis indicatis medullæ ſtaminibus per mentem impreſſæ. Gradus mutationis hujus pendet ab intenſione voluntatis, & ab irritabilitate ſtaminum animi juſſa capeſſentium. Ergo nimis flexilia ſtamina quæ ſimul irritabiliora motus muſculorum arbitrio obſequentium nimium citatos reddent.

Affectionem animi dictam, vel perturbationem, voco commotionem ejus a rectâ ratione averſam, occaſione ideæ vel placentis, vel moleſtæ, vel inſolitæ momentoſæque; quâ commotione homo in abnormem cupidinem, vel averſationem, vel admirationem rei propoſitæ fertur. Animus perturbatus rei propoſitæ ſolius contemplatione ita occupatur, ut affines non reſpiciat; dum tranquillus cunctas conſiderat, ut judicet & judicio recto convenienter agat. Quare in amorem, odium, aut admirationem rei propoſitæ homo perturbatus ita fertur, ut affinium momenta non libret; dum pacatus homo harum omnium momenta attendit, ut ſingula æſtimet. Ea autem eſt humanæ mentis conditio, ut unâ re vividiſſimè occupata alias tum poſſit negligere, tum mittere cogatur; unde judicat & agit nullo affinium reſpectu habito: quod ipſum pertur-

ba-

bationis eſt. Itaque affectionis ſeu perturbationis cujusque magnitudo, cæteris paribus, reſpondebit vigori ideæ vel placentis, vel moleſtæ, vel inſolitæ momentoſæque, menti obverſantis. Vigor ideæ pendet a gradu mutationis conciliatæ certis medullæ ſtaminibus. Gradus iſtius mutationis pendet ab objecti, vel internæ conditionis corporeæ, vel mentis, actione, ab attentione, & ab irritabilitate ſtaminum mutationem ſubeuntium. Ergo nimis flexilia ſtamina quæ ſimul irritabiliora affectiones animi, ſeu perturbationes, incitabunt & acuent.

Stamina medullæ cerebri nimis flexilia ſimulque ſegnius irritabilia perceptionem objectorum hebetabunt, imaginationem ſterilem producent, attentioni repugnabunt, memoriam dabunt ægre mandata accipientem, judicii rectitudini & ratiocinii promptitudini officient, motus muſculorum arbitrio obſequentium tardabunt, affectionum animi ſeu perturbationum numerum gradumque minuent.

Scilicet hujusmodi ſtamina minorem ſubeunt mutationem ab objectis in inſtrumenta ſenſuum agentibus, minorem etiam ſubeunt mutationem a mente vel ab internâ conditione corporeâ priſtinam quandam imaginem reſuſcitante, mutationis impreſſæ minus tenacia ſunt, conditionem a mutatione

prin-

principio factâ relictam minus fidè conſervant, mutationem minorem & minus celerem cum nervis motoribus communicant. Quæ ſufficiat hic perſtrinxiſſe, quum doctrina plenior ex præcedentibus facile ſatis eruatur.

CONSECUTIONUM RECENSITARUM SYMPTOMATA, RESPECTU ANIMI.

HÆ conſecutiones proximorum effectuum infirmatæ medullæ, ceu primi ordinis vitia animi, ſingulæ alias animi ægritudines, easque etiam primis oppoſitas, poſſunt inducere; quas ordinis ſecundi vitia, vel ſymptomata vitiorum primi ordinis adpellamus.

Nimirum dum infirmatus medullæ tenor certo reſpectu mentem ad morbum certum pronam facit, mens occaſione variâ, & quam vel tenor infirmatus ipſe, alio reſpectu, ſubminiſtrat, poteſt impetum in medullam illi propenſioni contrarium facere, minusque vel magis diu ſuſtinere, quo prior tenoris infirmati conſecutio prævertatur, & ſuperetur, imo aliquando contraria inducatur.

Hoc ut fundamentum eſt medicinæ mentis quæ conſolando, aut conſilio, aut pro-

priâ mentis ægræ virtute fit, ita origo eſt vitiorum animi ſecundi ordinis; quorum aliquot, exempli cauſâ, nunc indicabimus.

Ubi ſtamina medullæ nimis flexilia ſunt & irritabiliora ſimul; triſtitia, metus, ſollicitudo, imaginandi luxuriem poſſunt deflectere in imagines & propoſitiones horrificas: elatio animi, gaudium, confidentia, in imagines & propoſitiones inſolentis lætitiæ & admirationis genitrices. Perceptio objecti momentoſi juſto vividior perceptionem ſequentium objectorum hebetare, & attentionem alioquin volubilem figere poteſt. Imaginatio juſto vividior idem valet. Attentio ſic fixa memoriam alioquin labilem certæ ideæ morboſè tenacem poteſt facere: eadem affectiones alioquin præcipites poteſt prævertere, ut nihil curet homo præter id unum ad quod attendit: ſed & judicium & ratiocinium ſingularem in modum poteſt corrumpere, quippe quod multarum rerum complexam contemplationem poſtulat.

Ubi medullæ ſtamina ſunt nimis flexilia ſimulque ſegnius irritabilia, ratiocinii tarditas & error judicii affectiones animi, alioquin torpidas, effrænes facere poteſt; dum animus, qui verum non videt, de uſu vel noxâ objecti perverſiſſimè judicat. Cernas ignavos rarò quidem ſed aliquando tamen irâ metuve violentiſſimè moveri.

Per-

Perturbationes animi ſummæ muſculis arbitrio obſequentibus quietem omnimodam imponere poſſunt in irritabilioribus, quando perculſa mens nihil agit: poſſunt & eos rapidiſſimos agere in his quibus irritabilitas ſtaminum & fibrarum juſto minor eſt, per ſummum impetum quo fertur animus remoras omnes inertiæ ſuperans.

CAUSÆ PROPIORES ET ANTECEDENTES, INFIRMANTES TENOREM MEDULLÆ CEREBRI.

UT proximi effectus infirmati tenoris medullæ cerebri cenſentur ex effectibus proximis perſpectis infirmati tenoris partium ſolidarum univerſim, tubulorum ſecretos liquores vehentium, nervorum, & fibrarum; ſic cauſæ propiores infirmantes tenorem medullæ cenſeantur ex illis, quæ partium modò dictarum tenorem infirmant. Ita ut cauſæ infirmantes vel in ſolidas partes cunctas communiter agant: vel agant in medullam ſolam, ſimili ratione atque aliàs alii partium recenſitarum ſoli damno ſunt. Nulla ſiquidem ratio eſt, cur a cauſâ morbidâ ſolidis communi medulla cerebri immunis eſſet: aut

aut cur ea minus a ſimili cauſâ ſibi accidente ſimilia pateretur, atque patitur partium recenſitarum aliqua in quam talis cauſa cadit.

Non autem poſſumus non, in abdito hoc argumento, lubentes notare: quod, in ſequente tractatione cauſarum, conſecutiones, infirmatæ medullæ effectibus proximis ſupra adſcriptæ, ubique, experientiâ docente, apparituræ ſint conjunctæ cauſis. Scilicet hinc certiores reddemur, effectus proximos infirmati tenoris, quibus eas conſecutiones imputavimus, re vera dari. Et doctrina omnis de medullæ cerebri tenore infirmato, de effectibus, de conſecutionibus, de cauſis, hinc ſtabilietur.

Sunt autem cauſæ propiores infirmantes tenorem medullæ cerebri, ut aliarum partium ſolidarum, ſummatim hæ: liquorum vitalium immodica egeſtio, conſumptio, derivatio. Solidarum partium maceratio, inertia, diſtractio, compreſſio. Venena. Quæ ſingulatim vel conjunctim nocent.

Ergo medullæ cerebri tenorem infirmatum antecedent: egeſtiones immodicæ ſanguinis, liquorum qui in ventriculum & inteſtina confluunt, ſalivæ, ſeminis, lactis, urinæ, ſudoris, materiæ perſpirabilis, puris, ſeri. Liquorum vitalium conſumptio generatim. Spirituum cerebri, ſeu liquo-

ris

ris nervorum conſumptio ſpeciatim. Laxitas nimia vaſorum abdominis & pectoris. Redundantia glutinis, olei, aquæ, lymphæ animalis. Segnities cordis & arteriarum. Quies nimia muſculorum arbitrio obſequentium. Torpor functionum animi. Liquoris nervorum conferta transmiſſio. Vini abuſus. Voluptas. Dolor. Actiones & affectiones animi nimiæ. Convulſio. Plenitudo vaſorum ſanguiferorum generatim. Plenitudo vaſorum ſanguiferorum intra cranium ſpeciatim. Acutæ febres & morbi febriles generatim. Inflammatio intra cranium, ſpeciatim. Venena. Quorum ſingula faciunt ad unam pluresve cauſarum propiorum, medullæ cerebri tenorem infirmantium. Huc imbellis & effœtæ ætatis, & ſexus infirmioris, conſideratio pertinet. Verum ſingula horum ſingulatim expendamus.

LIQUORUM VITALIUM IMMODICA EGESTIO.

MIRABILIS eſt liquorum vitalium & vaſorum eos continentium neceſſitudo. Liquorum ſanitas a ſanitate vaſorum pendet, & viciſſim. Si ſanum ſanguinem arteria juſto plus minusve premat, vitiabitur ſanguis. Si arteriam ſanam ſanguis

juſto plus vel minus impleat, arteria læde-tur. Nimirum ſanus ſanguis poſtulat operam continuam arteriæ, globulos unde componitur moderantis moventisque; quâ operâ hi principio ficti erant. Et arteria ſana poſtulat operam continuam ſanguinis aptè diſtendentis, humectantis, calefacientis, nutrientis; cui operæ præſentem debet integritatem. Arteria autem ſanguinem vehens trunci rationem habet reſpectu minorum vaſorum, paris naturæ, ipſi continuorum. Et ſanguis eſt alimentum liquorum ſubtiliorum qui minoribus iis vaſis deſtinantur. Ideo par liquorum ſubtiliorum & vaſorum minorum neceſſitudo concluditur.

Sanguis quum ſubtilioribus liquoribus alimentum det, illo profuſo hi præcipientur. Ergo profuſi ſanguinis effectus prompti in vaſa minora. Inſuper, arteriæ vis & actio ſanguinis a tergo prementis vitam & motum dant minoribus vaſis & ſubtilioribus horum liquoribus. Quare promptiores etiam erunt effectus profuſi ſanguinis & arteriæ hinc debilitatæ in vaſa minora & in liquores horum ſubtiliores. Aliarum egeſtionum ſenſilium materiem fere ſanguis præbet. Ergo & harum effectus, ubi immodicæ ſunt, in vaſa minora ſimiles erunt.

Atque hæc præmonuiſſe viſum eſt ad indicandam eorum agendi rationem in ſtamina

na medullæ cerebri, quæ ſub claſſe egeſtionis immodicæ liquorum vitalium nunc recenſebimus.

EGESTIO SANGUINIS IMMODICA ET SUBITANEA partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Rem manifeſtam citatis experimentis probare nihil attinet. Eadem imprimis etiam tenorem ſtaminum medullæ nervorumque infirmat. Scilicet eam inſequuntur inſolita quædam cogitandi facilitas, apparentes ſcintillæ, colorum apparens varietas, vertigo, animi deliquium, convulſio, ſomni fugaci convulſione abrupti, terrores præter morem levi de cauſâ. Nervis qui olfactui ſerviunt irritatis, dubium eſt, utrum aliqua ſui conſcientia homini deliquium animi paſſo prius redeat, an prius reſurgat motus cordis & arteriarum?

EGESTIO SANGUINIS IMMODICA ET LENTA partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Nimirum hinc quoque, poſt eam, reſpectu pulmonum, difficilior & brevior ſpiritus, tuſſicula, tabes: reſpectu cordis, ejus palpitatio, motus retardatus, acceleratus, abnormis: reſpectu ventriculi, appetitus & coctionis turba multiplex: reſpectu inteſtinorum, alvi fluor aut tarditas: reſpectu hepatis, renum, glandularum, folliculorum oleum adſervantium,

propriæ cuique parti tenoris infirmati conſecutiones. Indidem, poſt egeſtionem hujusmodi, reſpectu cerebri, torpor & inertia actionum animi, vel moleſta ſenſuum teneritudo, puſillus meticuloſus iracundus animus, vertigo, convulſio facilis, phantasmata dormientibus vel & vigilantibus obverſantia. Hæc familiaria ſunt feminis menſtruo fluore ſolitis exhauriri: vel quibus elabente menſtrui tributi termino confertæ ſanguinis jacturæ ſine norma fiunt. Eadem in alio quoque ſanguinis diſpendio lentiore familiaria: nominatim eo quod ſectio venæ per intervalla præter fas celebrata parit. A miſſione ſanguinis mira memoriæ vacillatio obſervata eſt.

VOMITUS ET ALVI FLUOR, DIUTURNI, partium omnium ſolidarum tenorem infirmant. Ab utroque debilitas, languor, macies, tabes. Sed & animi abjectio, debilitatio, deliquium. Qui calente aquâ ſorptâ ventriculum & inteſtina macerando, vomitionibus & alvo prælaxæ cauſam præbent, hi irritabiles, facile convulſi, & affectuum impotentes, ſolent degere.

SALIVÆ FLUOR MULTUS partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. In ſcorbuto cui hæc moleſtia accedit, flacceſcunt carnes & corpus totum tabeſcit. Fluor idem

idem argento vivo factus potentiſſimè corpus exhaurit & infirmat. Sub uſu remedii adſurgat arteria, ſed poſtea concidit, languente ſimul toto corpore. Animi deliquia frequentia his quibus ad luem veneream ſaliva ſic movetur. Tenerorum & mobilium hominum ſollicitudo, abjectio animi, deſperatio, tunc inſignia incrementa capit: epilepticorum acceſſiones provocantur. Finitâ medicinâ ut corporis ita mentis officia torpent.

SEMINIS PRODIGA EJECTIO partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Ab eâ debilitas, inertia, macies, tabes a pulmonum vitio, & alia ſingularis quæ a dorſo nomen habet. Indidem ſenſuum hebetudo, languor, fatuitas, animi deliquium, convulſio. Sed partim etiam voluptati comiti, non ſoli ſeminis jacturæ, conſecutiones has adſcripſerim.

LACTIS EGESTIO NIMIA partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Debilitas, pallor, macies, tabes, profuſi ſudores, convulſio cordis, hinc naſcuntur. Et facile mobiles, meticuloſæ, puſillanimes, vertigini & animi deliquiis obnoxiæ, fiunt hæ lactantes.

URINÆ NIMIA PROFUSIO partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Ab eâ languor, debilitas, macies, tabes. Et

vertigo, convulſio, aliæque generis nervorum ægritudines.

SUDORES PROFUSI MULTIQUE partium omnium ſolidarum tenorem infirmant. A ſudore diuturno, eoque imprimis viſcido & graveolente, debilitas, pallor, marcor. A critico ſudore ſubſidunt liquores, vaſa flacceſcunt. Simul animi dejectio & deliquium hinc naſcuntur.

ΔΙΑΠΝΟΗ' nimia partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Inde mirum in modum ſubſidunt toroſa corpora, & ſummè debilitantur. Indidem animi deliquia.

PURIS MULTA ET LONGA EGESTIO partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Debilitas, macies, aquoſus languor, nocturnus ſudor, in phthyſibus id docet. In iisdem inſolita moroſitas & affectionum animi impotentia.

SERI SANIEI MUCI MULTA ET LONGA EGESTIO partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Ulcera multum manantia, fiſtulæ, fluor albus mulierum, corpus exhauriunt, debilitant, languorem, pallorem, œdemata, hydropes, inferunt. Animi autem hinc vitiatæ actiones quales in phthyſibus. Huc pertinet gonorrhœa dicta ſimplex virorum; a quâ mœrent, languent, meditabundi fiunt. Quam ſi comitatur voluptas, ex duplici cauſâ infirmatio naſcitur.

LI-

LIQUORUM VITALIUM IMMODICA CONSUMPTIO.

OMNI momento perit portio liquorum qui ad vitam faciunt, ſive emeriti diſſipentur, ſeu naturam, ſuo cujusque muneri aptam, amittant. Sanguis in unoquoque circuitu multas ſui partes perdit, & mutatur. Oleum musculis circumfuſum motu evaneſcit. Medulla oſſium motu conſumitur & diſſipatur. Neque quicquam vetat cur minus liquor nervorum ſuo officio functus pariter evaneſcere partim ſtatuatur, partim naturam ſuo aptam muneri amittere. Hinc alimoniæ neceſſitas, quæ novam materiem ſuggerat; & neceſſitas actionum vitalium, quibus aptæ naturæ liquor quisque denuo fingatur. Summa aut celerrima conſumptio æquali celeritate ſæpe reſtitui nequit: ſæpe refectio conſulto omittitur. Conſumptionis hujus nec reſtitutæ ſimiles effectus mente præcipimus ac quos ab immodicâ egeſtione notavimus.

Hæc indicant eorum agendi rationem in ſtamina medullæ cerebri, quæ ad immodicam liquorum vitalium conſumptionem pertinent.

LIQUORUM VITALIUM IMMODI-

CA CONSUMPTIO GENERALIS partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Qui teneriores religionis cauſâ jejunio ſeſe macerant, & qui vel ſolis carnibus diu præter morem abſtinent, his cor, arteriæ, viſcera, muſculi, languent, animus dejicitur, attendendi & meditandi vis frangitur. Quos morbus acutus exhauſit, hi in imbelli corpore mentem imbellem gerunt. Exercitationum defatigatione corpora quantopere ingraveſcunt! & quantum indidem actionum animi faſtidium, atque ad eas ineptitudo!

LIQUORIS NERVORUM IMMODICA CONSUMPTIO ſtaminum medullæ cerebri, nervorum, muſculorum, tenorem infirmat. Perceptio objectorum, vivida præſertim & doloris voluptatisve genitrix, imaginatio, attentio, recordatio, judicium, ratiocinatio, motus muſculorum arbitrio obſequentium, affectio animi vel perturbatio, ponunt mutationem ſeu motum ſtaminum medullæ cerebri, nervorum, & fibrarum in muſculis. Motus ille comitem habet motum liquoris nervorum. Moti & officio ſuo functi liquoris nervorum conſecutio eſt ejus diſſipatio aut naturæ ipſi aptæ amiſſio. Hinc, velut ab egeſtione, tenor infirmatus tubulorum quos perfluit. Sanè a recenſitis mentis actionibus & affectionibus, pede-

pedetentim naſcitur defatigatio, inertia, debilitas, ἀσφυξία, dejectio animi, actionum ejus languor, vitium, vel impotentia.

LIQUORIS NERVORUM IMMODICA CONSUMPTIO VELOX ſtaminum medullæ cerebri, nervorum, muſculorum, tenorem potentiſſimè infirmat. Quæ vaſe partim depleto languet actio, integrè evacuato eo ceſſat. Depletum vas allabente liquore ſenſim repletur: integrè vacuatum refectioni locum non ſinit, ſi forte pleni vaſis actio ad vitam neceſſaria moram non fert. Diſpendio familiari corpus adſueſcit, & ad reparandum damnum fit promptius. Actiones animi vividæ mentis aciem univerſim hebetent & eum fatigent, ſed inaſſuetis ſummam ſtatim delaſſationem pariunt & ſtabilem facultatum animi debilitationem. Perturbationes animi vehementiſſimæ nec opinæ mortem inferunt, quæ eſt univerſalis reſolutio.

LIQUORUM VITALIUM DERIVATIO.

LIQUOR corde pulſus ruit per arterias, cæteris quidem paribus, ad proportionem renixus in unaquaque. Diminuto alicubi renixu liquor quò fluit uberius in illam

partem, eò parcius fluit in oppoſitam. Itaque in oppoſita parte, ab hac cauſâ cernentur effectus ſimiles iis quos immodicæ egeſtioni & conſumptioni liquorum vitalium adſcripſimus.

Hinc intelligitur eorum agendi ratio in ſtamina medullæ cerebri quæ liquores vitales a capite derivant.

LAXITAS NIMIA VASORUM ABDOMINIS ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmat. Aquis in hydrope aſcite tricuſpidis acus ope citò eductis ſæpe deliquium animi ingruit & mors ſubitanea, ni cingulum artificioſum hæc prævertat; quo venter ſenſim, fere ad modum eductæ aquæ, ſtringitur. A partu toties ſtabilis fatuitas, aut ſumma mentis imbecillitas. A partu felici, ſed nimium celeri, aliquando præſens mors. Ὑπερκάθαρσις hoc etiam nomine deliquium animi infert. Quibus alvus a laxitate vaſorum, quæ in inteſtinis hiant, perpetim ſoluta eſt, hi animo, ut corpore, infirmi eſſe ſolent.

LAXITAS NIMIA VASORUM PECTORIS ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmat. In empyemate vel hydrope thoracis, puris aut aquæ omnis properata egeſtio ex inciſo thorace, deliquium animi inducit.

MISSIO SANGUINIS, MULTÆQUE

ALIÆ

ALIÆ EGESTIONES, etiam derivando liquores a capite, debilitatem & deliquium animi pariunt. Reclinando ægrum, cui ſanguis mittitur, fere prævertitur animi deliquium, aut tollitur.

CALORIS EXTERNI eadem quoque ratio eſt, dum cordis palpitationes & animi deliquia infert. Sanguis in dilatatas venas, quæ ſummam corporis faciem perreptant, uberius divertens, a capite derivatur: quare frigus venas arctans præſentaneo remedio eſt.

PARTIUM SOLIDARUM MACERATIO.

CORPUSCULA quæ ſecundum longitudinem conjuncta, fibram vaſis minimi conſtituunt, interpoſito liquore aqueo, glutinoſo, vel oleoſo, conjungi creduntur. Juſta proportio liquoris hujus imbibiti facere videtur ad mobilitatem & cohæſionem fibræ talem, qualem ſanitatis ratio poſcit: ita ut ejus inopia mobilitatem minuat, redundantia cohæſionem infirmet. Intelligitur autem ſenſilis ille liquor redundans fibrarum tenorem infirmare, dum circumductus eas alluit, aut ſtagnans vicinas gravat, & alterutro modo ipſas ſenſim imbuit. Sed & omnibus

nibus ſecretis liquoribus materiem quum ſanguis præbeat, illorum plurima vitia vitiis hujus erunt conſimilia. Nempe, quæ ſenſibus patent, ſanguis aqueus urinam aqueam, bilem inertem, ſegregat. Salivæ, puris, ſudoris, lactis, par ſæpe ratio eſt ac ſanguinis, unde originem ducunt. Inde vitia liquorum a ſanguine ſecretorum qui ſenſus fugiunt, certâ proportione ſimilia ſanguinis vitiis eſſe poſſe judicantur. Et ſanguis aqueus & iners uti bilem & urinam fatuam, ita liquores inſenſiles qui ſtamina medullæ tum alluunt, tum perfluunt, ſuo quosque modo inertes poterit ſegregare.

Inde eorum agendi ratio in ſtamina medullæ cerebri illuſtratur, quæ macerando nocent, nunc dicenda.

GLUTINIS, AUT MUCI, AUT LENTI LIQUORIS REDUNDANTIA partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Quibus glandulæ & cryptæ aſperæ arteriæ, fibrarum hujus, faucium, œſophagi, ventriculi, mucum & tenacem pituitam largè & diu promunt, quod morbi genus hodie videtur increbreſcere: quibus menſenterii & inteſtinorum ſimilis conditio eſt: quibus narium membrana muco perpetim affluit: hi appetitus defectu, tardâ alvo, aliisque ventriculi & inteſtinorum invalidorum vitiis ſimul laborant. Iidem torpidi, ignavi, langui-

guidi, in ſomnum proclives, iracundi, timidi. Rachiticorum ἀκρίβεια inſtabilis eſt.

OLEI REDUNDANTIA fibrarum tenorem infirmat. Tenuantur & infirmantur muſculi quibus pinguedo aggeritur. Stupida fiunt & ſegnia hæc animalia: præſertim quibus etiam in tenui involucro cerebri pinguedo colligitur.

AQUÆ REDUNDANTIA partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Aquæ tepidæ potoribus tollitur appetitus, alvus dura fit aut fluxa, pulmo debilitatur, muſculi enervantur, cor palpitat, inſtrumenta ſudoris, & renum fiſtulæ lotium vehentes, laxantur, & in feminis inſuper tubuli lac ferentes, & glandulæ atque orificia hiantia vaſorum uteri. His totum corpus languet, animi vires franguntur. Vertigo, puſillanimitas, iracundia, terror, mœror, obrepunt. Balneorum frequens uſus totum hominem effeminat.

LYMPHÆ AQUEÆ ANIMALIS REDUNDANTIA fibrarum, vaſorum, & tubulorum ſecretos liquores vehentium, tenorem infirmat. Qui pituitâ albâ tument, his muſculi languent. Orbiculares muſculi palpebrarum in lippis tremunt & reſolvuntur. In faucium catharris muſculi pharyngis & mobilis palati ſegnes fiunt. Glandulæ & cryptæ aſperæ arteriæ, & fibrarum hujus, cathar-

tharris diuturnis adeò relaxantur, ut perpetua fiat muci rejectio; præſertim his, quæ tenorem earum reſtituunt, ſiſtenda. Glandulæ & cryptæ inteſtinorum, ſero aqueo diu imbutæ, fluorem alvi perpetuant. Similia de pancreate, de hepate, de renibus, vera videntur. Itaque & lympha aquea animalis redundans, inter cerebri membranas vel in ejus cavitatibus aggeſta, aut corticem ipſum vel medullam imbuens, aut naturam ipſius liquoris nervorum depravans, ſtamina medullæ cerebri debilitabit. Ubi ſerum aqueum in capite redundat, memoria, ratiocinatio, judicium, ſenſus, motus, impediuntur: vertigo tenebras offundens, convulſio, reſolutio, ſopor, familiares ſunt.

PARTIUM SOLIDARUM INERTIA.

CORPUSCULA quæ ſecundum longitudinem conjuncta conſtituunt fibram vaſis minimi, ſive numero ſeu dimenſione plurimum poſſunt creſcere; dum cunctorum intercapedines, aut pori ſingulorum, idoneâ materie præterlabente implentur, cum per fibræ ſuperficiem quæ facit ad formandum cavum vaſis minimi, tum per eam quæ ad cavum vaſis minimo proximi for-

formandum facit. Agente fibrâ, id eſt, ſeſe contrahente, materiæ interceptæ conjunctio promovetur, augetur ſoliditas, & totius fibræ robur creſcit. Fibra agens, id eſt, ſeſe contrahens remoras contractionis pellit, atque adeò proximam quamque ſui contractionem expedit: unde, ſi effectum reſpicis, fibræ robur quaſi creſcit. Fibris plurimis agentibus liquores ritè coquuntur & fortiter circumducuntur: quare materiæ intercipiendæ multa fit applicatio ad elementa: unde robur fibrarum univerſim creſcit. Agentes fibræ plurimæ dum ritè coquunt liquores & fortiter circumducunt, ſuum cuique vaſorum generi liquorem bonum & uberem præſtant: unde valentior fit actio fibrarum vaſa hæc conſtituentium. Aucto motu inſtrumenti quod ſecernendo certo liquori ſervit, augetur ſecreti liquoris copia, quæ ad valorem tubulorum vehentium poteſt facere. Contrariarum conditionum effectus contrarii ſunt. Languore aut deliquio motus vaſis minimi, languet aut deliquium patitur motus liquoris quem continet: languor motus liquoris ita natus viciſſim vaſis languorem cœptum auget.

Atque hæc expediunt eorum agendi rationem in ſtamina medullæ cerebri, quæ ſub inertiæ titulo nunc recenſebimus.

SEGNITIES CORDIS ET ARTERIA-

RIARUM partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Res probatione non eget. Ab ἀσφυξία præſens virium omnium dejectio, animi deliquium, ſudor frigidus, mors. A ſegnitie locali arteriarum tenuis involucri cerebri, tenorem ſtaminum medullæ ſigillatim infirmari indidem capitur & demonſtratur.

QUIES NIMIA MUSCULORUM ARBITRIO OBSEQUENTIUM tenorem partium ſolidarum omnium infirmat. Ocioſis, tardis, ſomno deditis, pallor, cachexia, leucophlegmatia, muſculorum ſegnities & artuum, cordis languor & palpitatio, pulmonum debilitas, viſcerum abdominis obſtructiones, aquarum congeſtiones. Iisdem actionum animi operoſiorum tædium, fuga, ineptitudo: affectiones torpidæ vel irritabiles. Languor muſculorum, vaſorum, viſcerum, poſt opii longum abuſum, nonne præſertim proficiſcitur ab fibrarum actione multum ſuppreſſâ? Diſcrimen tenoris vaſorum & fibrarum in infante & adulto a motu muſculorum imprimis oritur.

TORPOR ACTIONUM ET AFFECTIONUM ANIMI ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmat. Scilicet ut vacatione magis generali fibrarum ſolidæ partes omnes infirmantur, ita vacatione ſingularum quarumque partium tenor harum ipſarum ſigillatim

latim infirmatur. Muſculi artuum ſiniſtrorum fere debiliores muſculis artuum dextrorum, quia minus moventur. Auricularum muſculi minus mobiles in homine, quod in infantibus conſtricti vacent. Quieſcentes articuli ſegneſcunt & debilitantur: ut in decumbentibus, &, quod modo dicebamus, ociofis. Cor languente ſuo motu debilitatur & dilatatur. Pulmo languente ſuo motu debilitatur & infarcitur. Quieſcentibus maxillarum & buccarum muſculis ſaliva parcior fluit. Semen parcius generatur abſtinentibus. Hebetatur acies oculi quo minus utimur. Idem de cerebri medullâ judicium eſt. Actionibus & affectionibus animi commune eſt ponere quandam mutationem, motum, aut tenſionem, ſtaminum medullæ. Ceſſantibus illis hæc labefactantur & tenorem amittunt. Inde vitium juſtæ mobilitatis ſtaminum, ad integritatem actionum animi præſtandarum deſideratæ. Ingenium ocio frangitur, ſicut ferrum rubigine. Id ut generatim verum eſt, ſic ſpeciatim in unaquaque mentis facultate deprehenditur. Ut intenſio nimia in induſtriis & literatis debilia ſtamina eaque fere irritabiliora reddit, ita ſegnis raraque intenſio in ignavis & ruſticis infirmitatem ſtaminum hebetudini junctam parere videtur. Meditandis rebus quæ ſenſus non movent, paſſim ineptus mercator.

Summorum artificum ſæpe puerilis ſententia eſt de rebus, quæ limites ſuæ artis excedunt.

PARTIUM SOLIDARUM DISTENTIO.

FIBRÆ muſculorum, tendinum, vaſorum, nervorumque, tendi poſſunt ad certas vices, ad certum modum, & ad certum tempus, ſine rupturâ, & ita, ut ceſſante diſtentione ſeſe omnimodè reſtituant. Tenditur autem æquè fibra contracta, quam elongata: certè ſi contractæ fibræ termini fixi fuerint, aut fibra minus ſimplex & tubulata fluido illabente expandatur. Frequentior, aut major, aut diu continuata, diſtentio rupturæ propinqua infirmat cohæſionem elementorum fibræ, ita, ut ceſſante diſtentione ſeſe non omnimodè reſtituant. Hæc eſt ἀτονία fibræ, brevem tenoris exceſſum, & pertentatum tenorem, ſtabili naturæ lege ſequens.

Ex eo capitur illorum agendi ratio in ſtamina medullæ cerebri, quæ diſtendendo lædunt.

LIQUORIS CONFERTA TRANSMISSIO tubulorum tenorem infirmat. Nimirum illa diſtrahit fibras tubuli cujusque, ſive coni iſte ſeu cylindri vel inverſi coni figu-

guram habeat, ſicubi ad tubi finem remora ſit, aut advecti liquoris copia excedat facilem diſtributionem. A ſanguine rapidiſſimè moto in morbis acutis febrilibus & febribus, arteriæ poſtea debilitatæ remanent, pulmo debilis & plusculo victu facile gravandus. Poſt labores & curſus tremuli ſunt artus. Poſt menſtrua prælarga ſæpe tanta tubulorum uteri dilatatio reſtat, qua ne ceſſante quidem plenitudine ſanguinem excludunt, non utique ſerum ſpiſſum. Plurium aliarum ſanguinis egeſtionum ſimilis ratio eſt. Inſtrumenta ſemen parantia ſæpius evacuata, novamque materiem perpetim adepta, omnino infirmantur. Similiter liquoris nervorum confertâ transmiſſione ſtamina medullæ cerebri videntur infirmari, quo fiat, ut vigente febre ſæpe præcipites animi actiones & vires muſculorum ſummæ ſint, ſedatâ vero febre langueant.

VINI ABUSUS partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Liquor fermentando paratus & inflammabili ſpiritu fœtus, vaſa omnis generis, viſcera, fibras, ſtimulando, & rarefaciendo ſanguinem cæterosque ſuccos, motum, calorem, plenitudinem, infert ubique, at cerebro præ cæteris. Inde tenor vigens & auctum robur partium ſolidarum univerſim, at præ cæteris vaſorum cerebri & ſtaminum medullæ.

Sed quod de famâ Lyricus (1), idem de robore verum eſt: id demum durabile quod paulatim augeſcit, & quod

Creſcit occulto, velut arbor, ævo.

Diſſipatus hic vini ſpiritus ventriculum flaccidum, cor languidum, ſanguinem diſſolutum, vaſa collapſa, muſculos imbelles, artus tremulos, relinquit. Pariter videndi acies vinoſis obtunditur, memoria labefactatur, affectus evadunt muliebres, rationis uſus hebetatur. Qui religionis honeſtatisque ruinis ſpuriam animi fortitudinem & licentiam ſuperſtruunt, ſi vino adſueti fuerint, ipſi mutuato hoc robore carentes puſillamini fiunt ultra fidem, tremuntque metu nec ponendo.

VOLUPTAS QUÆ MUTATIONE NERVIS IMPRESSA NASCITUR, MAGNA ET FREQUENS, tenorem fibrarum omnium infirmat. Scilicet in hujusmodi voluptate nervi extremitas ita tendi videtur, ut rupturam fere minitetur, & tenſa leni motu agitari. Nam fibræ nervi qui ad auditum facit, ad ſeptum cochleæ tenſæ ſunt; animoque ad ſonos placentes attendente, tenſionem hanc augeri penè certum rationi eſt. Ex eo probabile fit, amphibleſtroïdis tunicæ fibras, ad appulſum radiorum colo-

(1) HORAT. *Carmin. Lib.* I. *Ode* XII.

colores gratos repræſentantium, animi attentione intendi. Fibræ extremæ nervorum qui olfactui ſerviunt, & papillæ quæ ſunt guſtus & tactus inſtrumenta, pari ratione ſtimulo gratorum objectorum tendi videntur, animoque attendente intendi, quò acutius impreſſam mutationem excipiant. Ipſa autem hæc animi attentio ponit intenſionem ſtaminum medullæ cerebri, continuorum fibris extremis aut papillis nervorum, quibus placens mutatio imprimitur. Et in ingenti voluptate mira eſt nervorum penè omnium συμπάθεια.

Ut autem propoſitionem exemplis probemus: λυσιμελὴς Αφροδίτη antiquitus dicta. Titillatio laterum, vel plantarum pedis, ocyus proſtraviſſe vires, & poſt riſus ſardonios mortem intuliſſe, viſa eſt. Cæco nato viſus redditus animi deliquium peperiſſe deprehenſus eſt. Qui palato ſtudent ferè molles fiunt, & ad magna quæque inepti. Voluptatis titillatio, cæteris paribus, reſpondet irritabilitati uniuscujusque; & viciſſim voluptatis titillantis frequentiâ ſæpe creſcit irritabilitas; cujus incrementum nimium cenſetur in effectibus proximis infirmati tenoris.

DOLOR QUI MUTATIONE NERVIS ILLATA NASCITUR, MAGNUS ET FREQUENS, tenorem fibrarum omnium

nium infirmat. Scilicet in hujuſmodi dolore nervi fibra ita tendi videtur, ut rupturæ proxima ſit. Nam dolor ingens a puncto ſectove nervo aut tendine, cum ratione imputatur diſtractioni fibrarum nervi aut tendinis integrarum, quæ a contractione ſolutarum naſcitur. Et fibrarum minimarum diſtentio in inflammatâ parte meritò cauſa doloris comitis habetur. Videturque hæc diſtractio, ſeu diſtentio, fibrarum plurimùm intendi attentione animi, quippe qua dolor plurimum increſcit. Ipſa autem hæc animi attentio ponit intenſionem ſtaminum medullæ cerebri, continuorum fibris nervi, quibus diſplicens mutatio infertur. Et in ingenti dolore mira eſt nervorum penè omnium συμπάθεια.

Sed ut propoſitionem exemplis probemus: rudius tracti vel preſſi teſtes uno momento robuſtiſſimum reſolvunt. Tormina inteſtinorum ſummam debilitatem, ſola, ocyus inducunt. Dolores a calculo in rene, in uretere, in veſicâ, moto totum corpus ultra fidem enervant. Verbo, dolor omnis inſignior deliquium virium vel illico infert, vel poſt ſe trahit. Indidem animus dejicitur, memoria affligitur, affectus maximè fiunt irritabiles, uſus rationis infirmatur.

ACTIONES ET AFFECTIONES ANIMI NIMIÆ ſtaminum medullæ cerebri teno-

tenorem infirmant. Illas mutationem horum ponere ſupra diſputavimus. Mutatio hæc motus eſt. Motus ille ſive flexio ſit, ſeu expanſio, ſeu elongatio, ſeu facta inter fixos terminos contractio, ponit mutari puncta contactuum inter elementa ſtaminum medullæ. Frequentior, aut major, aut diu continuata, mutatio punctorum quibus elementa ſtaminum ſeſe mutuo tangunt, eſt definitio ipſius diſtentionis quæ tenorem infirmat. Sed & ſingulatim proſequamur animi actiones & affectiones, quæ hìc præcipuè in cenſum veniunt.

IMAGINATIO VIVIDISSIMA RERUM MAXIMOPERE PLACENTIUM AUT DISPLICENTIUM tenorem ſtaminum medullæ cerebri infirmat. Viſus eſt qui ex compoſito ſibi ſævæ tempeſtatis horrores tantâ vivacitate poterat proponere, ut animo linqueretur convulſus. Tragicus, morientis perſonam acturus, in ſcenâ exſpiraſſe viſus eſt. In loco deſerto, tenebroſo, cadaveribus conſito, ferarum incurſibus infeſto, aut aliàs horrido, morans homo ſolitarius, nec adſuetus, leviſſimâ occaſione ſibi ſpectra fingit, indelebiles animi morbos toties relinquentia. Periculi feliciter emenſi comprehenſio totius corporis atque artuum omnium horrorem fecit, & mortem ipſam intulit. Animo præcepta voluptas amantes ad

cætera omnia inſenſiles facit; nec modò corpus debilitat, cujus rei pallor & macies indicio ſunt, ſed & rationis uſum infirmat. Poſthumorum præmiorum & pœnarum intentior, quam par eſt, contemplatio ſimilia facit. Qui imaginationi indulgent attentione & ratiocinio ferè minus valent.

ATTENTIO ACERRIMA tenorem ſtaminum medullæ cerebri infirmat. Attentio animi figuratè dicta veri nominis intentionem ſtaminum medullæ ponit. Qui ſapientiam vel eruditionem profitentibus aures arrectas diu præbent, tandem delaſſari caput, quaſi conſtringi, dolere, rotare, mentem autem agendo ineptam fieri, ſentiunt. Nobiliſſimi pictores & muſici frequenter in mœrorem & curas mordaces proni obſervantur. Et univerſim, qui rebus arduis quotidianam attentionem acriter impendunt, his præcipites fiunt mentis perturbationes, viresque animi ſupra ætatem exoleſcunt.

MEMORIÆ MAGNUS LABOR ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmat. Qui multa ſimul ſuæ memoriæ tradere allaborat, ei capitis defatigatio fit, hebetudo, vertigo, oblivio. Cumulando mandata memoriæ, imaginandi, ratiocinandi, judicandi, vis in ſtudioſo puero hebeſcit. Oratores qui ſermones memoriâ tenere coguntur,

ante

ante ætatem effœtam repueraſcunt. Qui rationes ineunt, ſi diffidentes eorundem numerorum computationem nimis repetunt, citò laſſantur, turbantur, calculo ſubducendo inhabiles fiunt.

MEDITATIO PROFUNDA ET JUDICIUM DE REBUS OBSCURIS GRAVIBUSQUE, ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmat. Quando mens in eruendis, comparandis, ac dijudicandis, ideis minus obviis & valde compoſitis occupatur, quando res maximas comprehendere nititur, quando in intimos alicujus ſcientiæ receſſus penetrare aut pomœria ejus extendere cupit, ſimiles ac ab attentione nimiâ fiunt conſecutiones. Hi diffidentes, meticuloſi, iracundi, evadunt. Hi multò citius teruntur illis, qui noctesque diesque ſine ſingulari illâ animi intentione literis incumbunt. Qui ſevero ratiocinio adſueverunt, ferè ſterilem imaginationem habent.

AFFECTIONES ANIMI NIMIÆ, SEU PERTURBATIONES, ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmant. Amor catalepſin peperiſſe viſus eſt; ira paralyſin & apoplexiam; gaudium animi deliquium & mortem repentinam; triſtitia puſillanimitatem, animi deliquium, torporem, ſomnum; indignatio epilepſiam; ſuperbia fatuitatem; metus imaginationis

 tur-

turbam ſtabilem, deſperationem, mortem.

ACTIONES ET AFFECTIONES ANIMI MAXIMÆ, INSOLITÆ, ET SUBITANEÆ, tenorem ſtaminum medullæ cerebri potentiſſimè infirmant. Fibræ omnes & vaſa diſtentioni ſenſim plurimùm adſueſcunt. In lentâ & repetitâ fibræ diſtentione, vel diſtractione, tota ſeries elementorum ejus æquabiliori ratione a ſe mutuo deflectit ſine rupturæ periculo: in celeri & inſolitâ diſtentione, elementa quæ iſto momento debilius cohærent, ſtatim rupturæ propinquant.

ACTIO ET AFFECTIO ANIMI VIVIDA, UNA, DIU CONTINUATA, tenorem ſtaminum medullæ cerebri potentiſſimè infirmat. Scilicet ut longa nec interrupta actio fibrarum muſculi, laſſitudinem parit prorſus non ferendam, ita ſumma violentia, quæ animo infertur in unam rem fixo, diſtractioni ſtaminum eorundem continuatæ adſcribenda videtur.

CONVULSIO tenorem ſtaminum medullæ cerebri infirmat. Convulſio ponit mutationem ſtaminum ſimilem ac animi actiones & affectiones ponunt. Itaque pari ratione ſtaminum tenorem infirmabit; & eò magis, quo major eſſe mutatio ſolet in convulſione, quam in actione vel affectione animi utcunque magnâ. Epilepſiam ſequuntur

tur attentionis impotentia, jactura memoriæ, ratiocinandi vitium, fatuitas, paralyſis, apoplexia. Teneriores feminæ, convulſæ ſemel, in novas convulſionum acceſſiones pronæ manent. Triſtes debilitati cerèbri conſecutiones, poſt convulſiones, in infantili ætate, quotidianæ ſunt.

PARTIUM SOLIDARUM COMPRESSIO.

ARTERIA, vena, fiſtula quæ ſecretum liquorem animalem vehit, fibra :ubulata, ut a perlabente liquore juſtè dilaetur, & dilatationi juſtè renitatur, poſtulat etiam juſtam ab ambientibus presſionem, quâ neque nimis cedat liquori diatanti, nec nimis refrænetur expanſio. In priore caſu diſtentio fit ἀτονίαν inferens: in poſteriore juſtæ diſtentioni impeditæ ſuccedit minor tubi renixus, & parcior admiſſio moraque perlabentis liquoris; unde omnes nfirmati tenoris conſecutiones. Verum etiam conſtat, majore longâque compreſſione re ipſâ infirmari tenorem compreſſi vaſis vel fibræ. Inflammatio muſculi fibras inflammatis vaſis interſertas diu debiles relinquit. Infirmato tenori fibrarum inter coſtas, adſcribi poſſit harum irritabilitas ab inflamma-

matione relicta & recidivæ occaſio. Similis quoque poſſit eſſe ratio dolorum reſurgentium, poſt inteſtinorum inflammationem ſanatam familiarium. Inflammatio glandulæ, vel alîus inſtrumenti quod liquorem certum ſecernit, ſæpe diuturnam debilitatem fiſtulis egerentibus infert. GonorrhϾ ab inflammatione conſecutio fluxus liquoris lenti pertinax. Pleuritidis & peripneumoniæ conſecutio ſæpe pituitæ & muci flavi rejectio per totam vitam. Ophthalmiæ conſequentia lippitudo. Porro, pus vel ſerum purulentum ſi muſculum diu gravavit, poſt apertum abſceſſum muſculus tenuatus invenitur, & motus ejus torpet. Stupor quod ad ſenſum & motum a compreſſo nervo diu excurrit, vel ſolutâ cauſâ comprimente. Imò nervus diu compreſſus ad ſenſum & motum omnino inhabilis fit.

Atque ex his deſumitur eorum agendi ratio in ſtamina medullæ cerebri, quæ comprimendo nocent.

PLENITUDO NIMIA VASORUM SANGUINEM VEHENTIUM, GENERATIM, fibris & vaſis minimis infirmati tenoris effectus infert. Muſculi omnes his qui ſanguine redundant, torpent, & ad actionem ſtabilem inepti ſunt: cordis & arteriarum actio ſuffocatur: ſupprimitur lotium: menſes ſiſtuntur. Iisdem ſomnolen-

tia

tia familiaris eſt, pigritia, capitis gravitas, ſegnities functionum animi.

PLENITUDO NIMIA VASORUM SANGUINEM VEHENTIUM, INTRA CRANIUM, SPECIATIM, ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmat, aut infirmati tenoris effectus infert. Quos triſtitia, angor, deſperatio, male habuerunt, hi vaſa intra cranium ſanguine diſtenta ſæpius exhibuêre. Capitis dolor, gravitas, pulſatio, maximè ſub oſſibus frontis & ſyncipitis, genarum rubedo, aurium ſibilus, poſt profundam meditationem; demonſtrant intenſione longâ animi ſanguinem in caput derivari: quo demum tempore præſertim debilitari ſentiuntur animi vires. Qui trunco prono, capite multùm demiſſo, ſtudent, his mentis actiones magis & celerius hebetantur. Lautè paſtis torpor & ſomnolentia. Helluonibus morbi ſoporoſi familiares. Variæ capitis & nervorum ægritudines in gravidis huc pertinent. Valde mobilibus, quos hypochondriacos quoque vocant, familiare eſt rigorem cum frigore in lumbis experiri, vel artuum pallorem & frigus perſentiſcere, ponè quæ caput gravetur, tumeant venæ frontis, oculi & genæ rubeant: tum verò imprimis anguntur, ad meditandum inepti ſunt, vertigine moleſtati, triſtes, irritabiles: donec circularis per artus

tus & tegumenta motus reſtitutus caput levet.

ACUTÆ FEBRES ET MORBI ACUTI FEBRILES, GENERATIM, fibrarum & vaſorum minimorum tenorem infirmant. Augmentum caloris motusque vicem veræ plenitudinis nimiæ hìc præſtat. Statim his dejicitur virtus muſculorum: membra quaſi dedolata ſunt: cutis aret: urina ſupprimitur: viſcerum plerorumque robur labefactatur. Iisdem ſtatim objectorum nimis vivida perceptio fit: imaginatio vaga: attentio moleſta: memoria rerum, animo etiam ſui probè conſcio geſtarum, fragilis; ut reſtituti plurimorum durante morbo actorum ignari ſint. Sed & ratiocinatio multimodis læſa, & affectiones animi ſeu perturbationes promptiſſimæ. Soluti hi morbi corpus totum imbecille relinquunt, & nominatim pulmonem facile gravandum, ventriculum non niſi levi alimoniæ parem, inteſtina tarda. Sed & tum ſimul celeris defatigatio a meditatione: ſumma moleſtia ab auditu vel lectione rerum ſeriarum: ſoni fortioris, aut lucis claræ impatientia: perturbationes animi creberrimæ: lachrymæ leviſſimâ occaſione profuſæ: puſillanimitas: diffidentià. Vel & ſenſuum hebetudo: languor animi: ſomnolentia. Non quidem ſola compreſſio vaſculorum mini-

minimorum, fibrarum, & ſtaminum, cum ſuis conſecutionibus hìc accuſatur; ſed ea inter cauſas propiores locum habere, vel cum aliis concurrere, judicatur.

INFLAMMATIO INTRA CRANIUM, SPECIATIM, ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmat, aut ſimiles ac ab infirmato tenore conſecutiones infert. Phrenitidis conſequentiæ lethargus, melancholia dicta, coma, catalepſis.

VENENA.

VENENORUM in mentem vis æquè poterit eſſe debilitatæ medullæ cerebri pediſequa, atque noxæ horum ſæpe pendent ab infirmatione viſceris aut inſtrumenti alterius. Sed ubique æquè obſcurus eſt ſingularis modus quo venena agunt. Quare nec, quod ad cerebrum, diſtinctè diſputari ille poteſt.

IMBELLIS ÆTATIS ET SEXUS CONSIDERATIO.

INFANTILIS ſenilisque ætatis & feminei ſexus conſideratio doctrinam omnem hactenus traditam multum illuſtrat. Actionum & af-

& affectionum animi diſcrimen, in ſexu & ætate diverſis, etiam a cauſis corporeis inprimis pendet; ex quibus notatis cenſemus multa animi vitia: quum ſæpe morbida ſit cauſa, morbida actio & affectio, uni ſexui ætatique, quæ alteri naturalis eſt. Indidem multas morborum animi cauſas generales indagamus. Multaque animi vitia corrigere diſcimus, eodem tramite, quo natura utitur in unaquaque ætate animi propenſiones permutans.

In infantili ætate vaſa, viſcera, glandulæ, muſculi, oſſa, tenera ſunt, mollia, obſequioſa, infirma. Nulla ratio eſt cur medulla cerebri, reſpectu tenoris, ſola diſparis eſſet conditionis. Et re verâ actiones animi quæ cerebri interventu fiunt, in infantibus ferè tales ſunt, quales in adultis ab infirmato tenore ſtaminum medullæ culpavimus.

In ſenectute vaſa, viſcera, glandulæ, muſculi, oſſa, juſto rigidiora, magis compacta, minus mobilia, & duriora ſunt. Inde partium liquidarum inertia, &, quod ad virtutem animalem, infirmatio, ea ab infantili infirmitate cauſâ diverſa, ſed multis effectibus ſimilis. Atque ut in ſenibus quoque par cerebri atque aliarum partium ratio eſſe videtur, tenoris reſpectu, ita mentis actiones infirmatæ medullæ indicia referre in his depre-

deprehenduntur. Grato vini novi ſtimulo in ſenibus vegetantur actiones viſcerum, ſed & excitantur torpidæ functiones animi quibus medulla cerebri ſervit.

In femineo ſexu ferè etiam obtinent in infantili ætate notavimus.

RATIO DIGNOSCENDI MORBOS ANIMI AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI.

PRÆSENTEM animi morbum, ab infirmato tenore medullæ cerebri natum, dignoſcimus ex eo, quod hujuſmodi morborum aliæ cauſæ abſint, ex memoriâ cauſarum infirmati tenoris prægreſſarum, ex infirmato tenore perſpecto partium aliarum per cauſam communem, ex infirmatione nervorum ſuis effectibus perſpectâ, e teneritudine totius corporis, ætate, ſexu.

Abſentia aliarum cauſarum ad dignoſcendam cerebri infirmationem facit. In corpore quidem aliæ morborum animi cauſæ ſunt: vitia liquorum: plenitudo nimia vaſorum in tenui involucro cerebri & inflammatio intra cranium, alio ſæpe nomine, quàm infirmando tenorem medullæ cerebri, adverſæ actionum mentis integritati:

ſepti tranſverſi inflammatio: ſanguinis in pulmonem congeſtus: ventriculi ſordes: viſcerum abdominis obſtructio varia: vitia plexuum meſenterii: nidi vermium: uteri morbi: venena, quæ pariter multis nominibus integritati actionum animi obeſſe poſſunt. In ipſo animo verò aliæ morborum animi cauſæ ſunt: rationis neglectus: error: cura mordax: conſcientia delicti. Harum & forte plurium hujuſmodi cauſarum abſentia in morbis animi, poſt accuratum examen comperta, cerebri infirmati conjecturam ſuadet.

Recordatio cauſarum prægreſſarum ad dignoſcendam cerebri infirmationem facit. Qui ſtudendo indefeſſus, aut profundis meditationibus deditus fuerit, huic attentionem animi nimiam cerebri tenorem infirmaſſe opinabimur, unde omnia tuta timeat, varia ſibi mala fingat, mala ſeria exaggeret, remediorum verò ſpem abjiciat.

Infirmatus tenor perſpectus aliarum partium per cauſam communem, ad dignoſcendam cerebri infirmationem facit. Poſt menſes diu immodicos fluore albo diffluat mulier, ventriculo languido, tardâ alvo, ſudore profuſo, laboret: huic cerebri quoque tenorem infirmatum eſſe putabimus, mentiſque vires inde torpere, aut ſenſus morboſè teneros & affectus irritabiles eſſe.

In-

Infirmatio nervorum ſuis effectibus perſpecta ad dignoſcendam cerebri infirmationem facit. Faucium anguſtia, cordis palpitatio, anxietas ad præcordia, flatuum interceptio, ſpiritus interceptio, urinæ limpidæ egeſtio, ſi vagæ levi occaſione accedant recedantque, nervos teneros nimium & irritabiles monſtrant. Hos quando imaginatio turbata vexat, metus inanis urget, mœror macerat & deſperatio, ſtamina medullæ cerebri pariter his eſſe tenera præter modum, & irritabilia, animo præſumemus.

Teneritudo totius corporis, imbellis ætas & ſexus, ad dignoſcendam cerebri infirmitatem facit. Par ratio ſolet eſſe cerebri & aliarum partium, quod ad effectus cauſæ communis. Ideo in teneris, in imbelli ætate, in feminis, animi morbos tenori cerebri infirmato adſcribere proclives ſumus.

MONITA SPECTANTIA CAUSAS INFIRMANTES TENOREM MEDULLÆ CEREBRI, ET RATIONEM DIGNOSCENDI MORBOS ANIMI, HINC NATOS.

SUPERIORI ſermone digeſtæ cauſæ antecedentes, tenorem ſtaminum medullæ cerebri non ſemper infirmant ad pro-

portionem ſui Multæ ſingulares conditiones medullæ damnum vel integrè ſarcire poſſunt. Et ſingularis aliquando medullæ valor eſt. Prorſus ut in cæteris viſceribus obtinet. Exhauſti pulmonum ulcere non pares effectus infirmatæ medullæ cerebri prodere ſolent, acquidem plerarumque aliarum partium infirmatarum. Sunt qui totam ferè vitam in ſtudiis terunt, & mente valent: omnino ut hi, quorum munus eſt ære ciere viros, integro interdum pulmone ſeneſcunt. Nonnulli tepidæ potores immodici, nedum cæterorum viſcerum, ſed etiam ventriculi infirmati, diutiſſimè immunes vivunt.

Cauſarum antecedentium multæ, levi conditionum diſcrimine, contraria faciunt. Ita ſanguis verſus caput raptus modò mentis actiones hebetat ſtamina comprimendo, modò eas incitat irritando ſtamina, motumque & copiam liquoris nervorum augendo.

Non omnes medullæ cerebri plagæ ſemper a communi viſâ cauſâ paria patiuntur. Sæpe læditur ſenſuum aliquis ſingularis. Hinc minus mirum fit, infirmis modò memoriam lædi, modò ratiocinationem, modò inperium in motus animi.

Antecedentes cauſæ cauſas propiores non ſemper gignunt ſolitarias. Una illarum vario

rio nomine ſolet obeſſe. In acutâ febre ſolidæ partes diſtrahuntur, fluidæ exhauriuntur; quo utroque nomine medullæ ſtamina relinquuntur infirmata.

Cauſarum antecedentium plures ad infirmandam medullam frequentiſſimè concurrunt.

Tenor infirmatus medullæ cerebri, morborum animi auctor, ſæpe ſociatur alii cauſæ mentis actiones lædenti. Sunt quibus tumentia præcordia prorſus induruerunt, & qui tamen omni labe animi inſolitâ carent: ex quo diſcimus quantas ſæpe partes agat infirma cerebri medulla, aut & aliter fortaſſis ægra ea, in multimodis animi vitiis eorum, qui hypochondriaci vulgò audiunt, & quæ vitia locali viſcerum abdominis obſtructioni ſoli vulgò imputantur. „ A lue venereâ, „ affectio hypochondriaca: *Si ad ea ſymptomata quæ vitioſus & acrior chylus poteſt producere — cæteraſque anxietates quæ a ſeminio venereo producuntur in univerſo corpore, accedat ea mentis diſpoſitio ad melancholicum delirium vergens, quæ ad affectus hypochondriaci eſſentiam pertinet*". ASTRUCCII hæc ſententia (1) noſtram confirmat: ut, puto, noſtra viciſ-

 ſim

(1) *De morbis venereis*, *Lib.* IV. *Cap.* III. §. IX. N. III.

ſim illam illuſtrat & rationi commendat. Quibus cerebro debilibus acuta febris accidit, hi, eâ decurrente, animi mala longè plura & acerbiora patiuntur. Qui mentis errore malè de ſe ſentiunt, hi demum ſummam animi perturbationem & dejectionem experiuntur, ſi cerebro ſimul debili ſunt; ut eſſe ſolent teneri, & pueri, & feminæ. Juſta metus ratio de re familiari ſæpe concurrit cum cerebri infirmitate, quibus ambabus homo deſperans mœrore contabeſcat. Veri delicti morſus exaggerant infirmi. In hujuſmodi caſibus dignoſcere cauſas compoſitas & præſentia momenta ſingularum, difficilius eſt, at curaturo neceſſarium.

PRÆSAGIA IN MORBIS ANIMI AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI.

PRÆSAGIA in morbis animi ab infirmato tenore medullæ cerebri pro cauſarum diſcrimine & concurſu diverſa ſunt. Sed & mentis & corporis ratio hìc habenda. Cerebrum infirmum animo morbos infert, & viciſſim animus infirmat cerebrum. Morbi animi infirmitatem cerebri augent, & cerebri infirmitas morbos animi exaſperat. Itaque vitiorum horum in incrementa mutua con-

conſpiratio eſt. Veruntamen plerorumque caſuum præſagia ſummatim his regulis continentur, aut ex iis non ægrè deſumuntur.

Liquorum vitalium immodica egeſtio ſubitanea morbos animi præcipites infert, ſed breves. Vaſa ſubitò depleta & hinc flaccida tenorem priſtinum citò recuperant, redditis per bonam victus rationem liquoribus. Hæc in veloci ſanguinis jacturâ, in violentâ alvi ſubductione, in ſalivæ fluore per argentum vivum, in ſudore critico, in nimia διαπνοῇ, vera obſervantur.

Liquorum vitalium immodica egeſtio lenta morbos animi pertinaces parit. Hìc a principio partes ipſæ ſolidæ fere infirmatæ ſunt: aut jacturæ diuturnitate, ſubnatâque liquorum depravatione, tenorem penitus amittunt. Hæc in nimio fluore albo & menſtruo, in ſeminis diſpendio, in lactis redundante fluxu, in puris longâ rejectione, clarius deprehenduntur.

Liquorum vitalium immodica conſumptio velox aut lenta ſi animi actiones læſit, paria ac in egeſtione immodicâ præſagimus. Eſt tamen, ubi longos animi mores, victui tenui reſpondentes, victus lautus ſubito permutet.

Liquorum vitalium derivatio morbos animi inducit aliàs facile, vix aliàs aut ne vix

quidem, ſanandos; pro vario gradu laxitatis vaſorum quæ liquores capiti ſubducunt, & pro variâ facultate remedia adhibendi cum effectu. Id ipſum exemplis eluceſcit, quæ, cauſas enarrando, ſub hoc titulo citavimus.

Muci, lenti liquoris, lymphæ aqueæ animalis, redundantia morbos animi diuturnos gignit. Ipſa hæc vitia ferè diuturna ſunt, ſolidaſque partes flaccidas & inertes ponunt. In morbis capitis qui a ſeri colluvie nomen habent, ratiocinii & memoriæ læſio quoties inſuperabilis! quoties animi motus plusquam pueriles, iique perpetui!

A tepidæ abuſu morbi animi faciliore operâ ſuperandi. Flaccidi quidem hinc canales & diluti liquores, ſed adventitio vitio: ipſi alioquin utrique inculpati. Solâ aquæ & aquei potus abſtinentiâ paucorum dierum, ſæpe multum levari cernas ex ejus abuſu nata corporis infirmati damna, tum alia, tum quæ in mentem redundant.

In ſegnitie cordis & arteriarum cauſa hujus indaganda, ut vera fiant præſagia morborum animi quorum auctor eſt. Segnities localis arteriarum in tenui involucro cerebri videtur ſuperatu difficilis. Certe quibus ſanguis, non ſine ingenti moleſtiâ, crebrò verſus caput quaſi rapitur, his illa ægritudo ſæpe per annos inhæret.

Igna-

Ignavia corporis & animi, morbos animi facit ægerrime vincendos. Ocioſo ſi laborem imperes, ſi ſenſilibus uſque intento meditationem aut voluptuoſo attentionem & rationis obſequium ſuadeas, plerumque laterem laves.

Qui febres acutas inſequitur languor animi vel irritabilitas brevis eſſe ſolet. Judicatâ febre vaſa univerſim debilia ſunt, pauperati liquores: Sed quum corpus alioquin inculpatum ponatur, vaſorum tenor indies reſtituitur, liquores redduntur: quibus evaneſcit infirmati cerebri multiformis afflictio.

Vini abuſus pertinaces animo morbos infert. Stabiles infirmati cerebri conſecutiones, reſpectu animi, non niſi lentè hinc apparent. Lentus earum gradus ponit infirmationem natam non a ſimplici defatigatione & fugaci collapſu ſtaminum, ſed potius ab horum quadam reſolutione. Simul vinoſis plerumque liquores acres & diluti.

Voluptatis frequens uſus pertinaces animo morbos infert. Scilicet ingens & repetita diſtentio robur omne fibræ vaſiſque frangit. Talis autem in frequenti voluptatis uſu fibrillis nervorum, & medullæ cerebri ſtaminibus, accidit. Sed & in voluptate fit ingens liquoris nervorum diſpendium. Et voluptas unà totum corpus infirmat: corpus infirmatum cerebri imbecillitatem perpetuat.

 tuat.

tuat. Neque diſpar longi doloris ratio.

Ab actionibus animi nimiis & perturbationibus, morbi animi vix perſanandi. Hìc ipſa medullæ cerebri ſtamina ſola principe loco infirmantur. Spiritus cerebri ſeu liquor nervorum exhauritur. Utcunque reſtituatur tenor, manere tamen ſolet irritabilitas quædam & ad novam infirmationem propenſio, qua mens agendo citius turbatur. Ab affectionibus animi tenor infirmatus affectiones incitat, ut prior quiſque ſit poſterioris argumentum.

Convulſiones morbos animi terribiles pariunt, vix, aut ne vix quidem, ſanandos. Ipſa medulla cerebri ſummam hic violentiam perfert. Epileptici morbi infantum & adultorum rem demonſtrant.

Nimia plenitudo communis vaſorum ſanguinem vehentium morbos animi producit facile curandos. Omnia hìc integra: compreſſio, læſæ mentis cauſa, facile tolli poteſt.

Nimia plenitudo vaſorum intra cranium, localis & longa, difficillimos animi morbos generat. Tunicæ vaſorum cerebri tunicas aliorum vaſorum teneritudine ſuperant. Vaſa intra cranium muſculorum motu non expediuntur. Ideo vaſa hæc diu ultra modum diſtenta difficillimè tenorem priſtinum recuperare videntur. Præſagia morborum

ani-

animi, inflammationi intra cranium ſuccedentium, hinc petantur. Qui febres acutas & morbos acutos febriles hinc diverſos inſequuntur, facilius cedere ſolent.

In infantili ætate & pueritiâ morborum animi ſanationem ſperamus a pubertate, quâ ſolidarum partium omnium tenor invaleſcit. Contra, ſenilis infirmitas indies incrementa capit.

In feminis animi morbi magis crebri & difficilius medicabiles, quod totam compagem naturâ teneriorem habeant, & ergo ſtamina medullæ cerebri naturâ infirmiora.

Quando rationis uſus nondum valde afflictus eſt; quando doctrinæ, conſiliis, monitis, juſſiſque, obſequioſus eſt animus; quando mens ſeſe conſtanter opponit vitiis, ad quæ cerebri ægritudine inclinat; bonam ſanationis ſpem concipimus. Et contra. Stamina medullæ violentâ longâque mutatione quodam modo reſolvi, vel aliàs depravari, videntur, ut prorſus inepta fiant quæ animo ſerviant: unde morbi animi inſuperabiles.

Præſtat vagis animi morbis laborare, quam uni imagini aut propoſitioni morboſè inhærere, vel uno animi affectu perpetuo occupatum eſſe. In unâ eâdemque animi actione, vel affectione, una eademque ſtamina diuturnâ violentâque mutatione ſummè af-

affligi videntur. Ideo mobiles erranteſque oculi meliora ſpondent, quam fixus aut trux obtutus cum corrugatâ fronte.

Quibus animo malè eſt ab infirmo cerebro, hi, dum aliis morbis decumbunt, dupla mala ferre ſolent, puta debilitatis incremento, quod hi morbi inferunt, & perturbationibus animi quibus occaſionem ſubminiſtrant. Et nominatim catharri morbos animi ab infirmitate cerebri augent & revocant.

Si ad medullæ cerebri tenorem infirmatum acceſſerit alia cauſa quæ idem in animum valet, morbi animi triſtiſſimi oriuntur. Sæpe vitia curari ſingula poſſent, quæ conjuncta non poſſint. Quibus præcordia induruerunt & ſimul imbecille cerebrum eſt, hi, dum obſtructa reſerare niteris, animum deſpondent, auxilia faſtidiunt: ſi animum leves, obſtructionis conſecutiones intervallum lucidum ocyus obnubilant. Sunt qui, errore ducti, pænas æternas in morte timent quibus vitandis non ſint, qui vivere tamen poſſint munia ſolita obeuntes; donec forte meliora docti reſipiſcant, vel donec in oppoſitum errorem gratiſſimum incidant: Quod ſi timor ille ceciderit in hominem infirmi cerebri, ſtatim fit mœror ſummus, angor, ſuſpiria, planctus; & fatuitatis, furoris, αὐτοχειρίας, periculum præſens.

RA-

RATIO PRÆCAVENDI MORBOS ANIMI AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI.

MAGNI momenti res eſt tenor aptus medullæ cerebri. Moleſtia & damnum a morbis animi excedit moleſtiam & damnum a morbis corporis qui animum illæſum ſinunt. Si quem inteſtini inflammatio torquet, aut pleuritis ſuffocat, aut calculus motus cruciat, aut cancer ulceratus enecat, humanam ſortem dolemus. Sed ne vel hæc mala, quantacunque ſint, adeò pertimeſcimus, atque quæ is fert quem ſpectra horrenda læſæ imaginationis ſequacia terrent, aut qui læſa ratiocinatione deſperans æternas pœnas quaſi præoccupat. Nonne in aquæ metu rabiem magis quam mortem rabiei ſuccedentem averſamur? Accedit, quod cerebrum ſemel infirmatum ſæpe neget priſtinum tenorem recipere unquam: unde priſtinæ infirmationis perpetuum periculum. Itaque momentoſa cenſeatur ratio præcavendi eam infirmationem, quæ eſt una è cauſis tantorum malorum.

Conſiſtit illa præcavendi ratio in vitatione cauſarum infirmantium, quà nobis datur.

De

De plurimis nihil eſt quod admodum monendum habeamus. Verum de actionibus & affectionibus animi nimiis pluſcula hìc diſſerere lubet, in gratiam eorum qui vel eruditioni vel ſapientiæ ſtudent

UNIUSCUJUSQUE hominis corpus, & unaquæque pars ejus, definitam habere videtur, ſibique propriam, roboris ἀκμὴν, ad quam poſſit pertingere, quam excedere nequeat. Tenerum hominem victu & exercitiis robora, nunquam tamen habebit corpus athletarum aptum laboribus. Tenerum pulmonem ſermone & motu muſculorum firma, valebit ad exercitia pulmonis in certo vitæ genere; ad exercitia quæ latera firmiſſima poſtulant, valebit nunquam. Sic quoque credibile eſt, ſtamina medullæ cerebri non niſi definiti roboris capacia eſſe, per quod non niſi definito attentionis, memoriæ, cæterarum animi actionum, & affectionum, gradui habilia ſint: ad quas, puta, præſtent operam cum quadam conſtantiâ, ſine læſione ſui. Mentem cujusque hominis definitæ, ſibique propriæ, capacitatis eſſe non improbabile eſt. Sed certum eſt, cerebrum cujusque hominis, quomodocunque animo inſerviat, ſolùm definito, ut diximus, actionum animi numero & gradui par eſſe. Ut autem pars unaquæque congruente firmatur exercitio, nimio viëta fit; ita cerebrum,

quà

quà menti ſervit, expeditur & roboratur moderatis animi actionibus affectionibusque; nimiis iis fatigantur, infirmantur, teruntur ſtamina medullæ.

Quare quiſque curioſè attendat oportet, quantæ actionum animi ſphæræ vires cerebri reſpondeant. Qui extra hanc vagatur, debilitari caput ſentiet, languere & marceſcere totum corpus. Majusculi primorum impetuum profectus plus nimis compenſabuntur damno, quod capiet è debilitato cerebro, actionibus, ad quas alioquin ſufficeret, nunc inepto. Damnum augebunt plurimæ corporis ægritudines hinc natæ. Conjuncti hi morbi mentis & corporis vitam vix vitalem reddent, & fata properabunt. Rarus eſt, qui in ſcientiis numero pluribus & multùm diverſis excelluit: innumeri damnoſè id moliti ſunt. Rarò feminis artes & ſcientias difficiliores tractare congruit: puta ſolis his, quæ virili animo cerebrum roboris virilis ſeſe ſortitas eſſe probant.

Actionum animi aliæ atque aliæ, alias atque alias ſtaminum medullæ cerebri conditiones ponunt, ut facile, & ſæpe, exerceri queant. Propoſitionis hujus quædam argumenta ſermo prior ſubminiſtravit. Itaque cerebro vim inferre caventes decet non nimios eſſe, præ cæteris, in iis actionibus animi, ad quas quisque naturâ minus ducitur.

In

In ferendis majoribus, tam animi, quam corporis, laboribus, multæ efficaciæ eſt conſuetudo. Agendo ſenſim creſcit robur partis & obſequium. Itaqùe ſtudiis ſenſim adſueſieri, facit ad præcavendam infirmationem ſtaminum medullæ cerebri. Temeraria eſſe poteſt nimia feſtinatio, vel in iis mentis actionibus, ad quas naturâ ducimur.

Quoniam longa nec interrupta diſtentio ſtamina potentiſſimè infirmat; claret, eruditorum lucrum id in damno eſſe, quod fit ſomni tempora ſtudiis impendendo. Ut ad viam longam emetiendam greſſus conſtans præ curſu eſt accommodatior, ſic in ſtudiis jugis & lenta feſtinatio præcipiti præſtat. Pulchrè HORATIUS (1):

Si ceſſas, aut ſtrenuus anteis,
Nec tardum opperior, nec præcedentibus inſto.

Naturæ humanæ diſſona jactant, qui difficilia opera quaſi ſubceſivis horis facta vendunt.

PULCHERRIMA eſt honeſti facies, quæ ſi oculis cerneretur mirabiles amores excitaret ſapientiæ. Inde acerrimum honeſti ſtudium, apud homines, qui eo nomine cenſeri merentur. Attentionis autem

(1) *Epiſtolarum Lib.* 1. *Epiſt.* 111. *in fine.*

tem limitata facultas & numerus officiorum ſæpe faciunt cur minus homo ſufficiat cunctis officiis, ad quæ ſingula valet. Et porro perpetua hæc eſt virtutis palæſtra. Namque attentione majore homo par eſt pluribus magisque illuſtribus officiis. Veruntamen hic modus eſt. Præterquam quod homo nimis anxius erroribus pateat, quia ſenſus pluribus intentus ad ſingula minor eſt; aut quia, ex adverſo, mens uni rei nimis intenta eſſe nequit, quin alias negligat: attentio nimia ſtaminum medullæ cerebri tenorem infirmat. Hujus autem infirmationis conſecutio eſt priſtinæ attentionis impotentia, cæterarumque animi actionum læſio multimoda, unde nova errorum & vitiorum occaſio.

Ut itaque in eruditionis cultu nimis acri damnum eſt, ſic in acri nimis cultu virtutis damnum eſſet, niſi virtus eſſe desineret, ſimulac nimia eſt. Officiorum æquè ac ſcientiarum cuique ſphæra eſt, quam temerè quis excedere nitatur. Mira ſententia, nec tamen vera minus. Cernas homines juſti tenaces minutas cauſas, alterum ne lædant, adeò extricare, ut graviores omittant. Eosdem pedetentim dubios, meticuloſos, anxios, ad magna quæque ineptos fieri advertas. Nonnullos reperias aliorum commodis tam acri-

ter invigilantes, ut vitæ proficuæ ſpem longam præcidant. Hinc unam originem discimus errorum & lapſuum quos fert humanitas. Sapientiſſimus Iſraëlis Rex nimium juſtos eſſe nos jam olim vetuit. (1)

MAXIMI momenti ſunt objecta ſapientis. Natura rerum, & multiplex ejus regimen: Auctor naturæ: turpe & honeſtum: temporis æterni ſtatus. Ergo profundiſſimarum meditationum inexhauſta argumenta ſapientiæ ſtudioſus habet. Habet & affectionum animi argumenta perpetua. Neque finis hìc neque modus eſt admirationis, lætitiæ, triſtitiæ, ſpei, metus, niſi quem ratio ponit. Quò majorem autem hìc mutationem ab actionibus & affectionibus animi vividis ſubeunt ſtamina medullæ cerebri, eò magis ab earum exceſſu infirmantur. Sanè non uſpiam majores & promptiores animi turbæ, quam ab ideis & propoſitionibus quæ religionem ſpectant, atque ab affectionibus quas illæ pariunt.

Ergo vel in ſtudio ſummi boni modum homini imperat humana imbecillitas. Meditationum autem & affectionum animi ſacrarum hunc modum unusquiſque facile intra ſeſe poteſt experimento dignoſcere: quò immodicas ſopiat. Quibus firmius eſt cere-

re-

(1) *Eccleſiaſt. Cap.* VII. *vers.* 16.

rebrum, hi meditationibus & affectionibus tutiùs indulgent. Quibus teneriora ſunt medullæ ſtamina, hi & modum excedunt facillimè & læduntur maximè. Exemplo ſunto feminæ. Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede, verum eſt.

Porro, momentum objectorum, quæ diximus, animo obverſantium facit ut cerebrum, ſemel infirmatum, immodicâ animi intentione novâ denuo infirmetur promptiſſimè. Ideo omni operâ præcavenda prima quæque inſignis infirmatio. Triſtes enim & pertinaces ſequelæ ſunt. Animadvertas homines meditationibus & affectionibus ſacris ultra ſuum modum indulgentes, ad locum præſertim quem anteriores lobi cerebri tenent, moleſtiam ſentire, vertigine corripi, debilitari univerſim, pallere, animo linqui. Repetitâ hujusmodi violentiâ cerebro illatâ, imaginatio fit effrænis; facillimè mobiles & irritabiles redduntur; ratiocinandi & judicandi facultas læditur; rerum, quas vitæ uſus poſtulat, negligentes fiunt; & infatuantur.

INTRODUCTIO IN RATIONEM CURANDI MORBOS ANIMI AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI.

IN ſanandis animi morbis ab infirmato tenore medullæ cerebri, & corporis & animi cura habenda eſt. Imprimis quando rationis uſus non plane ceſſat: quanquam etiam in pleno delirio cauta viri prudentis tractatio quæ mentem attinet, fructum habet. Ea vis ineſt animo rationis obſervanti & virtutis tenaci, quæ reprimat multa vitia in quæ fert infirmatum cerebrum. Animi morbi inde nati ipſi augent infirmationem ſtaminum medullæ, quod augmentum ſæpe excedit opem medicinâ corporis allatam. Eâ ſæpe ſunt vehementiâ eoque periculo hi morbi, ut ferri nequeant donec ipſa cerebri infirmatio correcta ſit. Sæpe vitium corporis immedicabile eſt: quo caſu medicina mentis poteſt acceſſiones morborum animi prævertere vel raras facere: ſimul impedire poteſt ne ipſæ hæ acceſſiones infirmitatem cerebri ejusque conſecutiones augeant. Quin & actiones mentis atque affectiones torpidæ aut nimiæ recenſentur inter cauſas antecedentes infirmationem cerebri: quæ infirmatio

tio ſic nata duplici neceſſitate curam animi poſtulat, ſi animum læſit.

Et, ab alterâ parte, temerè plerumque tollere nitaris animi morbos ab infirmatâ medullâ cerebri, ſine curâ corporis; quippe cujus vitium illis cauſam dat. In his quibus ab infirmato cerebro mens laborat, aptè diſtinguuntur conſtitutio morbida & ipſa functionum vitia: quæ poſteriora, quod modò innuebamus, adeſſe & abeſſe poſſunt. Prorſus ut in intermittenti febre conſtitutio eſt ſavens acceſſionibus, quæ ſuo demum tempore invadunt. Functionum animi vitium quodque ſingulare in his ſæpe ſanari poſſit in præſentiâ, ſolâ animi curâ habitâ: Verum ni tenor ſtaminum medullæ ſimul reſtituatur, permanebit origo novarum turbarum, quas non fallax præſagias.

In duplici hoc ſanationis objecto, modò ab animo principium ſit, aliàs a corpore, nonnunquam utriusque medicina ſimul adornatur: prout vitium alterutrius magis urget, prout morborum animi auctor infirmitas a mente vel a corpore proficiſcitur, aut prout fert opportunitas in his qui animo ægri ſunt imprimis obſervanda.

Et modò mens præcipuam curam poſtulat, aliàs corpus, interdum æquam utrumque. Nam actionibus & affectionibus animi in moderamen reductis emendatiſve, ce-

rebrum infirmatum ſæpe ſuâ ſponte ſibi priſtinum tenorem amiſſum reparat. Aut, ceſſante corporis vitio quod infirmitatem fecit, animus ſæpe ſuâ ſponte fit ſerenus. Eſt itaque ubi alterum curare ſufficit.

Ut ſanentur morbi animi ab infirmato tenore medullæ cerebri, ſummatim opus eſt 1°. ceſſent cauſæ infirmantes. 2°. ſopiantur irritabiliora ſtamina, inertia excitentur, in præſentiâ. 3°. firmentur ſtamina. 4°. moderetur, emendetur, inſtruatur, animus; ſive vitia hujus cauſæ ſint, ſeu effectus, infirmati tenoris. Properanda autem æquè vitiorum animi quam corporis ſanatio, quoniam in incrementa mutua uſque conſpirant.

Difficile eſt in amplâ dicendi materie ordinem reperire qui argumenta ſelecta colliget, ita, ut ne acta, quod ajunt, agantur. Conſtituimus autem tradere primò rationem curandi morbos animi ab infirmato tenore medullæ cerebri, reſpectu habito cauſarum infirmantium: ex quibus illas excerpemus, de quarum medicinâ ad normam indicationum præcedentium, aliquid habemus dicere. Secundò dabimus rationem curandi morbos ipſos animi ab infirmatâ medullâ: pari inſtituto. Tertiò, ſimiliter agemus de ratione curandi ſymptomata morborum animi, ſeu morbos animi ſecundi ordinis, a me-

medullæ infirmatione. Paſſim autem omittemus repetere conſilia medicinalia, quæ, ad unam cauſæ morbidæ vel morbi ſpeciem notata, communioris uſus eſſe facile capiuntur. Quartò, ſubjungemus ſylvam monitionum generaliorum in curandis animi morbis ab infirmato tenore medullæ cerebri.

RATIO CURANDI MORBOS ANIMI AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI, RESPECTU HABITO CAUSARUM INFIRMANTIUM.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per egeſtionem ſanguinis immodicam & ſubitaneam, poſtulatur corporis & animi ſumma quies, unà cum perpetuo decubitu, nec niſi tantulum elevato capite: donec bonis alimentis redditi liquores infirmata reſtaurare incipiant. Quieſcente robuſto homine qui ingentem ſanguinis jacturam fecit, infirmatæ medullæ conſecutiones ferè ſilent. Ille verò ſeſe erigat, membra tremore quatientur, vires ſubſident, animo linquetur. Calamum arripiat ſcripturus; tremula manus

animi juſſa eludet, rotationis ſenſum in capite experietur, mens titubabit. Imaginem animo volutet aut propoſitionem, inſolitam minusve gratam; puſillâ de cauſâ totus commovebitur. Idem tunc ſeſe reclinet, quieſcat, objecta diſſipari ſinat, cogitando abſtinere nitatur; priſtinus tremor quantuscunque & omnis animi turba diſparebunt.

Uſum hic quietis diſcas ex ipſis ægris, ſæpe nec monitis, experimento ſapientibus. In hoc caſu, ut in aliis ubi cerebrum debile & irritabile, æger ſomno proximus aut eo fruens ſubitò evigilare ſolet, ſudore perfuſus, cum terrore ſummo, permoleſto angore, brevique convulſione totius corporis. Nempe dormientes rarò evigilamus niſi accedente ſtimulo. Stimulus autem quantuluſcunque pellendo ſomno ſufficit in modò dictis caſibus. Neque in debilibus his, irritabilibus, puſillanimis, meticuloſis, ille placidè vigiliam revocat, ſed, excitando hominem, ſimul has corporis & animi turbas ciët. Quas ut prævertat æger, eum ſolicitiſſimè occaſiones ſomnum pulſuras arcere videas. Quod ſi tamen tam duriter evigilet, quietem ſibi corporis & animi ſummam imperat; certus breves eas quidem ſed formidatas moleſtias horæ momento ſic compoſitum iri.

Si-

Silentium autem actionum & affectionum animi hìc momentoſum eſt, non modò ut caveantur illæ turbæ citò evanidæ; ſed vel ideo præſertim, quod hæ ipſæ turbæ tunc ſæpe prorſum frangant labefactatum medullæ tenorem, debiliaque ejus ſtamina forte diverſimodè lædant; ut animi vitia indelebilia ſequantur. Argumento ſint puerperæ.

IN morbis animi a cerebro infirmato per egeſtionem ſanguinis immodicam & lentam, palmaria remedia ambigua ſunt, donec fluxionis novæ ſecuri ſumus. Motus musculorum liquores fortius circumducendo recludere poteſt ora vaſorum debilium, quæ ſanguinem ſtillare vix deſierunt. Medicamenta graveolente ſpiritu pollentia, anti-hyſterica dicta, ſimile periculum inferunt, illa alioquin paſſim efficaciſſima ad infirmationem medullæ nervorumque, ſive inertiæ ſeu irritabilitati nimiæ junctam, ſaltem in præſentiâ corrigendam. De aromatis, de vino, de ferro adſumpto, idem judicium eſt. Quæ tamen ad cautionem, non ad omiſſionem, adferuntur. Vegetabilia quæ ſine multo aromate roborant, & adſtringunt, generalioris hìc uſus. Sic quoque peruvianus cortex. Eſt ut volatilia medicamenta graveolentia fugaci uſu ad tempora naresque proſint, ubi internus horum uſus

abjudicatur. Sunt qui poſtrema hæc omnino non ferunt. Sunt quibus aromata in caput geſtata capitis turbas augent. Quæ ſolo experimento in unoquoque dignoscuntur. Inopia liquorum vitalium & magna ſolidarum partium debilitas opii uſum aliàs vetant, aliàs parcum & circumſpectum eſſe jubent. Motus musculorum ipſe principio actiones animi lædit, quoniam citatiore curſu liquorum unà cum debili corpore cerebrum infirmum quoque fatigatur: ut malè ſeſe ab eo habere ægri videantur. Veruntamen hæc brevis moleſtia præſens negligitur ob commoda motum ſequentia.

QUANDO ſalivæ fluor argento vivo in hypochondriacis dictis ad mala venerea excitatus infirmando cerebrum, aut priſtinam ejus infirmitatem augendo, morbos animi exaſperat, hæc ASTRUCCII doctrina (1) uſum habet: „ *Hypochondriaci, qui naturâ* „ *meticuloſi ſunt, remedii tædio, diuturni-* „ *tate, dolore*", adde liquorum diſſolutione & dispendio, „ *citò fracti curatione quidem* „ *affectâ, de ſalute deſperare, confectâ verò* „ *de valetudine ſolent diffidere* — *Certum* „ *eſt cautiſſime cum illis procedendum eſſe,* „ *ut qui morbi impatientes ſint, omnia tuta* „ *ti-*

(1) *De morbis venereis Lib.* IV. *Cap.* VIII. §. II. N. 6.

„ *timeant, ac pro nihilo portenta ſibi fin-
„ gant, quibus mirificè conſternantur. Ita-
„ que bonis verbis erigendi ſunt quamdiu the-
„ rapeia mercurialis durat, ne animo de-
„ ſpondeant, quod nunquam periculoſum non
„ eſt; finitâ verò curatione manifeſtis ratio-
„ num momentis arguendi, ut de valetudine
„ diffiteri nullo modo posſint. Sed in utro-
„ que caſu ſcias velim plurimum ineſſe diffi-
„ cultatis ac laboris: in illo, quod hypo-
„ chondriaci ex vividâ plantaſiæ vi, qua
„ multum valent, morbi ſpecie gravius affli-
„ gi ſoleant, quam plerique alii morbo ip-
„ ſo: in hoc, quod cum cæteri id verum
„ eſſe facile putent quod multum expetunt,
„ ii contra id ſolum verum eſſe credunt,
„ quod maxime ſibi metuunt*".

In iisdem, dum ſaliva fluit, lentius feſti-nandum & refectioni acrius ſtudendum esſe, ratio docet.

IN morbis animi a prodigâ ſeminis ejectione cerebrum infirmante, cura animi ſumma habenda eſt: & vel antequam perſanetur corporis imbecillitas, modò primus ille non ferendus languor discuſſus ſit. Nempe reſtituto plusculum corpore degener animus alioquin antiquis ſtimulis agi ſeſe ſinit: homo voluptatis blanditiis ſe dedit denuo: ſic damno mactat imbelle cerebrum.

IN morbis animi a lactis egeſtione nimiâ, cere-

cerebrum infirmante, medicamenta quæ Spiritus matricalis Burrhi, Spiritus maſtichinus, Balſamus embryonum, inſcribuntur, ſæpe ſingularem laudem merentur.

IN morbis animi a ſudore profuſo multoque, ſi defatigatione natus ille, vini ſpiritus aquâ dilutus, nomen habet: ſi diuturnus idem & familiaris, vinum auſterum rubrum peruviano cortici adfuſum: ſi criticus, vinum rhenanum dilutum, cum regimine frigidulo.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per multam longamque puris egeſtionem, nominatim in pulmonum ulcere, levamen ſolum adſpiramus. Firmum animi propoſitum hìc multum valet. Dummodo homo pertulerit primum naſcentis turbæ ſtimulum, ſtatim is obtunditur. Staminum irritatio, in infirmis imprimis, niſi fomitem habeat, citò exſtinguitur. Multum etiam hìc valet adſtantium prudentia, qui turbarum occaſiones vel leviſſimas præcidunt, natasve turbas mox componunt. Papaverea, hìc aliunde ſatis frequentia, ſimul animi efferos impetus ſubinde mulcent.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per gonorrhœam dictam ſimplicem virorum, eamque imprimis cum voluptate, liberalis uſus vini & liquorum ſpiritibus vini divitum, abjudicatur: ne, dum ſtimulo roborant,

ſti-

ſtimulo ſuo ſimul voluptuoſum fluorem incitent.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per liquorum vitalium immodicam conſumptionem ad hæc animum advertiſſe prodeſſe poteſt.

Quibus jejunio aut victu tenuiſſimo ſe macerare viſum eſt, his neceſſum eſt corpore & animo quiescere. Negocioſo qui genium defraudat ſuum, vires omnes exhauriuntur & ſtabilis noxa manet. Cubitu præduro, victu aſpero parcoque, vigiliis ac laboribus, juvenes felici indole præditos ac ſpem ampliſſimam præ ſe ferentes, alios neci datos eſſe, cæcitati alios, alios dementiæ, notatum eſt. Qui corpus multùm exercet, huic victu multo, ſolido, boni ſucci, opus eſt. Qui animum exercet gnaviter, hic lauto facile digerendo victu boni ſucci, & reficiente vini potu, indiget; atque varietate gratorum nec mentem delaſſantium objectorum in horis ſubceſivis. Ut labor, ita & nutrimentum & refectio, ſi durabiiis labor erit.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per laxitatem nimiam vaſorum abdominis, compreſſio abdominis ſitusque ægri ſupinus prima remedia ſunt. In enormi fluore puri ſanguinis e vaſis meſentericis in inteſtinis coagulati & alvo redditi, mortem immi-

nen-

nentem fugatam vidimus imprimis etiam conſtrictione modicâ ventris, ſupino ſitu decem dierum, quiete abſolutâ musculorum penè omnium, retentione juſſâ novæ cruentæ fæcis, principio effluere uſque paratæ. In enormi alvi fluore alio, in aquarum ventris eductione, in partu eoque imprimis præcipiti & alioquin fortunato, facilis ex his agendorum ratio.

IN morbis animi a glutinis redundantiâ cerebrum infirmante, bulbus ſquillæ, radix ari, gummi ferulacea, plantæ ſcorbuto adverſæ acriores, & externo uſu cantharides, præcipua ſunt. In iracundiam quam abjectionem animum proniorem eſſe torpidis confert.

IN morbis animi ab aquæ redundantia cerebrum infirmante, ferrum introſumptum imprimis juvat: vina generoſa: victus ratio exſiccans: & exercitatio.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per lympham aqueam animalem redundantem, veſicæ in cervice & pone aures cantharidum ope excitatæ, diu ſtillantes; acria ſternutationem & ſalivam moventia; ſcammoneum; antihyſterica dicta; victus ratio exſiccans & roborans; palmaria ſunt.

IN morbis animi a cerebro infirmato per nimiam quietem musculorum arbitrio obſequentium, ut ut ægrè ad laborem ducantur

ho-

homines, eo tamen ſolo, ut cætera viſcera, ita cerebrum, tenorem recipit. Itaque modò blandâ monitione, modo opprobriis pœniſve, prout torpidi ſunt aut irritabiles, ad laborem ſenſim ſunt ducendi. Sed & proponenda ſpes non fallax, fore ut conſtante exercitio, incipientibus quantumvis difficili, ſanentur ab animi vitiis, quorum moleſtiam & dedecus vivis tum coloribus pingere refert.

IN morbis animi a cerebro infirmato per torporem actionum & affectionum illius ipſius, ut eadem eſt exercitii harum difficultas atque quam in præcedenti caſu de labore corporis notavimus, ita idem uſus eſt. Non minus legendo vel ſcribendo delaſſatur ruſticus, quam ruſtico labore eruditus. Ingenium eſt omnium hominum a labore proclive ad ocium & libidinem: at eorum præ cæteris qui ocio & libidini adſueverunt. Attamen & ægrum & medentem ſpes non vana ſalutis ad arduum opus animat. Sanè certum exercitium facere cernimus ad valorem fibrarum omnium. Ætate roborantur fibræ. Muſculi artuum dextrorum fortiores ſiniſtris quia magis moventur. Teneri, adſueſcendo laboribus, prævalent toroſis non adſuetis. Quam valida ſit actio muſculorum & fibrarum laryngis, aſperæ arteriæ, & ramorum hujus, ad vocem & ſpiritum, exer-

exercendo! Nec ulla ratio eſt cur minus de apto exercitio ſtaminum medullæ cerebri paria præſumeremus. Et certè perceptio objectorum quæ in inſtrumenta ſenſuum incurrunt, exercitatione fit acutior. Muſicorum aures tonorum ſenſiliſſimæ evadunt. Oculorum acies his, qui minuta aut longinqua ſpectant, ſumma fit. Qui palato ſtudent, ſaporum diſcrimina notant, quæ latent vulgo. Porro, exercitatione perceptio idearum abſtractarum & compoſitarum, atque propoſitionum difficilium, expeditur: imaginatio fœcunda redditur: attentio familiaris: affectus vigiles: memoria ampla: ratiocinatio prompta: judicium ſolidum.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per confertam transmiſſionem ſpirituum cerebri, poſt febres acutas apparentibus, ſomno longo indulgeat homo ſæpe. Ab omni ſtudio, attentione, meditatione, affectu, vacet, quantum fieri poteſt. Ideas rerum gravium ad animum appellentes ocyus præterlabi ſinat. Removeantur objecta quæ ſenſuum aliquem vividè afficiant. Ne vigili res difficiles etiam nolenti obrepant, ſeſeque furtim animo inſinuent, leves potius crebroque variatas ideas contempletur. Interea dum vino pauco ſæpiuſculè ſumpto ſe reficit, & roboranti victui ſtudet. Diſtenſionem paſſis ſtaminibus hoc modo priſtina

co-

cohæſio, adeoque robur priſtinum, redibit: & gradibus non diſtinguendis puſillum nimiſque mobilem animum ſibi majorem fieri lætus homo ſentiet.

IN morbis animi a cerebro per vini abuſum infirmato, medicamenta amara leniter aromatica, & ex antihyſtericis dictis leniora, ferè conveniunt. Succinum, caſtoreum, pomorum aurantiorum cortices, mentha criſpa, utilibus hìc remediis materiem præbent: & junctus iis ſuccus aut ſyrupus pomorum citreorum. Non ab omni vino aut affini liquore, & principio præſertim, hi pellendi ſunt: niſi novi abuſus periculum excedat damnum ſubitæ mutationis. Vinoſis familiare eſt alvum ſubinde purgare: quo depleant corpus, quod, a vini abuſu, ſeri colluvie gravari incipit. Sed & obſervavi, in morbis bibonum purgantia interdum malè cedere; viresque animi & corporis præter opinionem dejicere: quod, puto, tum obtinet, quando ſoluti acres degeneres liquores vaſa minima viſcerum perluunt, hæc ipſa verò, præſertimque in abdomine, ſimul prorſum flacceſcunt, & velut in gangrænâ tabescere incipiunt.

IN morbis animi a cerebro infirmato per voluptatem, quæ mutatione nervis impreſſâ naſcitur, magnam & frequentem, excelſa &

latior mens reddenda eſt, moleſtiæ ſubeundæ, laborandum.

Scilicet unusquisque bono ſummo ſibi comparando per omnia ſtudeat oportet. Summum bonum hominis eſt aggregatum bonorum ſingularium innumerorum, eorumque momenti valde diverſi. Sed ut unam ferè rem, vel paucas tantum, ſimul intendere poſſumus, ſic uno tantum bono, vel paucis ſimul, majorem in modum poſſumus frui. Voluptatum, quæ mutatione nervis impreſſâ nascuntur, una cui adſuevimus, indies obliteratur aliâ cui adſuescimus. Majori autem huic oblectationi perturbatio propinqua eſt, qua mens deſiderio illius boni fertur ita, quaſi id ſolum ipſi propoſitum eſſet, quo frueretur. Cernimus hos, qui bonis animo magis propriis intentisſimè ſtudent, indifferentes fieri circa bona quæ per ſenſuum inſtrumenta capiuntur. Ex adverſo, poſteriorum avidi, priorum nullâ cupidine feruntur. Et illa quidem perturbatio humana eſt, donec boni præſentis appetitus non infert neglectum majoris: in vitio autem eſt, ſimulac rationi ne quidem partes tacitæ ſunt in impetu quo homo fertur.

Itaque plurima bonorum ſingularium quæ homini ante oculos poſita ſunt, ab homine ſummi

mi ſui boni ſtudioſo tantùm delibari poſſunt: multa omnino præterlabi ſinat oportet. Et eorum ſingula libranda ſunt, ut unicuique comparando curam impendat,atque unoquoque fruendo vacet, quantum licet absque damno alterius boni quod majoris momenti eſt.

Uti autem nihil non diverſum eſt inter cognitas mentis & corporis proprietates, ita non contraria quidem, ſed prorſum diverſa tamen, bona ſunt quæ mentem proximè, quæque ſenſuum inſtrumenta primò afficiunt; & ergo prorſum diverſæ voluptates quas ex iis capimus: ut voluptas altera alterius cupidinem facile minuat, & uſum ejus minus titillantem reddat.

Eapropter ægro corporeis voluptatibus merſo in memoriam revocare decet, eum hominem natum eſſe, qui ſummæ voluptati conſequendæ ſtudeat, quæ complectatur uſum bonorum omnium ſingularium quorum quisque capax eſt: inter ea locum longè principem tueri bona menti magis propria: tandem eâ cum moderatione cuncta carpenda eſſe, quæ uſui conſtanti faveat. Ad hanc normam pronus in terram animus elevandus eſt, ut vitioſæ voluptatis negligens ferias concedat infirmatis ſtaminibus, quæ recepto ſenſim tenore viciſſim animum in vitia inclinare ceſſent.

Immo corporeæ voluptates, vel honeſtæ, principio hìc multum amputandæ ſunt; donec mens aſſueta bonis ſibi magis propriis, in generali voluptatum ſtudio rationi auſcultare, ſingularumque momenta librare didicerit: & periculum irritationis nimiæ ſtaminum nuperrime infirmorum a vividâ affectione ceſſerit.

Moleſtiæ quas homo ſubit, delent ideas quæ in voluptatem ducunt: ſic & labor: hic infirmum corpus & irritabile inſuper indurat.

IN morbis animi a cerebro infirmato per dolorem, qui mutatione nervis illatâ naſcitur, magnum & frequentem, ſequentia attendiſſe confert.

Mutatio fortior nervis illata certam quidem eorum tenſionem parit, ſtaminibus medullæ cerebri communicandam, unde ſenſus voluptatis aut doloris neceſſariò fiat: veruntamen attentio animi ad voluptatem doloremve ſic neceſſario natum, ejusque ſuborta perturbatio, cœptam eam tenſionem multùm poſſunt augere; cui tenſionis augmento, perceptæ voluptatis aut doloris incrementum reſpondeat. Et contra, tranquilliore mente dolorisque ac voluptatis contemptrice, ſuperaddita hæc tenſio perexigua eſt. Sternutationem, tuſſim, riſum, lachrymas, motus venereos, moderare vel re-

reprimere homo poteſt, ſenſim eludendo ſtimulum, niſi violentior ille ſit. Quod ſi in dolore vel voluptate mens ratione uti prorſum deſinit, alterutrius ſenſu tota occupatur, ad alias ideas omnes cæca ſit, perturbataque nervos porro turbat, & per eos totum corpus; dum nervorum turba viciſſim in animum redundat. Quare puſillanimes, molles, mobiles, dolorum timidiſſimi, cæteris paribus vividiſſimè dolent: magnanimis, tranquillis, & mente ſolida felicibus, dolores fere ſunt tolerabiles. Tantum hìc animus valet, ut imbellis ſexus & ætas cruciatus tulerint qui virile robur quaſſaverant & dejecerant.

Itaque urgente dolore blandus Medentis ſermo, aut, pro re natâ, ſeverus, leniat aut reprehendat opinionem commoti ægri de gradu doloris quem ſuſtinet. Mox reſpirationis turbam, ejulatus, membrorum jactationes, diſſuadeat. Tandem ad eam ferè quietem corporis & animi nitatur ægrum ſenſim ducere, quam in præſenti doloris gradu locum habere poſſe Medicum ratio docet. Vel hisce ſolis levamen ſpectabile brevi naſcetur. Pleuriticum non ſummi doloris impatientem & quaſi deſperantem, ſic intra dimidium horæ morbum ſatis tranquillè tolerare, atque a causâ doloris minus affligi cernas; ita, ut dein facile poſſis de

augmento vel decremento morbi, etiam ex querelis ægri, judicium ferre; quod vetatur, ubi querelæ doloribus neutiquam reſpondent.

Neque tamen animi conſtantia reprimere debet omnia doloris indicia. Sic enim Medicus ignorat periculum e dolore æſtimandum. Et eo animi ſtatu cerebro vis maxima infertur: quod animi deliquium tum frequens demonſtrat.

Mentis humanæ potentia naturalis in dolore moderando certos fines habere videtur; ut in ſummo dolore Medicinæ mentis locus non ſit. Dolorem & angorem ſummum vocamus, qualem aliquando in pectore ſubitaneum aliquamdiu ante mortem, in inteſtinorum morbis, in cancri ulcerati rabie, non ſine proprio dolore notavimus. Terribilia hæc momenta præterlabi ſinenda ſunt, priusquam animum adverſus dolores obfirmare nitamur. Sic homo voluptatum corporearum præſente uſu inebriatur.

Infirmatio cerebri nataque hinc animi ægritudo poſt dolorem toleratum, ſanatur quiete animi, victu roborante, vino.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per actiones animi nimias, princeps remedium eſt ut æger omni cogitandi labore vacet. Fibra diſtentione infirmata nullâ re æquè ac quiete tenorem recuperat. Veſica lotio

præter modum diſtenta, & quaſi reſoluta, curatur, ejus plenitudinem diu prævertendo. Uterus, os uteri, vagina, in partu ſummè dilatata, imò diſtrahentibus inſtrumentis, quorum præceps uſus hodie videtur invaleſcere, violata, ferme ſola quiete ſe reſtituunt, ſi reſtituantur. Cutis & muſculi abdominis in hydrope aſcite, poſt vacuatas aquas, maximè laxata prorſumque inertia, ſenſim ſeſe contrahunt. Idem per totam corporis ſuperficiem poſt apertos abſceſſus cernitur. Ne plura addam: iners tolerato labore muſculus brevi quiete rurſum valet. Nihil ergo mirum idem in ſtaminibus medullæ cerebri locum habere. Sanè imaginando, attendendo, recordando, meditando, fatigatus homo ſentiat cogitandi & judicandi vim ſibi labefactatam: nullam is aliquandiu cogitationem foveat, & imbecillitatem mentis ingratiſſimam evanuiſſe gaudebit. Qui diu meditationibus indulſit, huic iracundia & mobilitas animi paucarum horarum facilius condonatur: cerebro aliquamdiu feriante, redit rationis imperium. Novali agro hìc cerebri medullam compares.

Sed ſubortas cogitationes diu non fovere difficillimum eſt illi, qui meditationibus adſuevit. Labor ſopiendi præſentem cogitationem, ipſum ſæpe cogitandi laborem in his

ſuperat. Itaque alterum, poſt primum, remedium eſt, perfunctoria tractatio levium objectorum. Exigua mutatio ſtaminum quietis ſpeciem habet. In cogitationum varietate plaga medullæ cerebri alia atque alia exerceri videtur, unde reliquæ ceſſent. Verum, inter hæc, arcenda, quantum fieri poteſt, illa objecta, ſuffocandæque actiones animi illæ, quibus cerebrum primò infirmatum eſt. Et in ipſa rerum varietate ſtudium acre eſt vitandum. Sanè quidem, ut aqua ſale aliquo ſaturata tamen alium ſalem admittit, ita mentis acies labore certo hebetata ad alium tamen laborem aliquamdiu valet: Sed in eo caſu fallax & breviſſimum erit ſolamen mentis ad alia deflexæ. Tota compages medullæ cerebri quà ad actiones animi facit, ſic propediem debilitatum iri videtur. Itaque nec lingua, nec metrum, nec argumentum, in audiendo legendove, in ſcribendo vel dicendo, laborem faciat. Et vel levia hæc ita tractentur, ut reminiſcamur illa perfectæ vacationi ſolummodo ſuccenturiari.

Deambulatio hìc adeò prodeſt, quia gratis objectis omni momento variatis, nec laborem facientibus, animum occupat. Exercitia corporis etiam delaſſantia hìc toties juvant, quia mens, ſub his, ut comparatè loquamur, nihil agit: quo tempore elemen-

menta ſtaminum medullæ cerebri, diſtentione infirmatorum, in priſtinam ſocietatem coëunt.

Somnus prælongus huc præ cæteris omnibus facit, modò non tantus ſit qui cerebrum nimis gravet, & ſub capitis elatiore ſitu capiatur. Evigilantibus autem ægris hiſce præſertim grave caput & debile eſſe ſolet. Quod ſi ſtudiis tum ſtatim opera datur, ſumma fit animi defatigatio. Stamina ſenſim agere adſueſcant, oportet. Itaque lento gradu ſtudia repetat evigilans.

Nec non meretur notari, ſomnum imprimis indicare quousque medulla cerebri animo indefeſſo par ſit: eundemque præcipuo ſigno eſſe accedentium & abeuntium ægritudinum, quas nunc agimus. Sanus juvenis, impetu in ſtudia latus, omni arte ſomnum fugat: aliquamdiu poſt, ſentit eum ſponte fugere, & vix tardè capi ob fertilitatem & vigorem idearum, captum autem ſomniis turbari & terroribus abrumpi. Tunc, ſi in ſano corpore ſanam mentem amat, ſtudiis ocyus temperare debet & ſomno indulgere conari, ſaltem donec indicatæ ſomni moleſtiæ ceſſerint. Cæteris paribus, multò diutius acribus ſtudiis ſufficiunt, qui laudabili ſomno genium non defraudant.

Vinum meracum, vinum in quo plantæ aromaticæ maceratæ ſunt, tinctura ferri cum

tartaro in aqua cocti, gummi ferulacea, e medicamentis hìc primaria ſunt.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per adfectiones animi nimiàs, ſeu perturbationes, hæc Medicum monenda habemus.

Voluptatem vel dolorem ex ideis certis neceſſariò capimus. Illam appetimus, hunc averſamur, neceſſariò. Præceptam voluptatem vel dolorem pariter appetimus aut averſamur. Appetitioni huic aut averſationi quidam impetus hominis in agendo ſolet accedere. Naſcitur is a vigore ideæ præſentis quæ cæteras obſcurat. Ideâ præſente homo occupatus judicat celerius & agit acrius, quam ſi ratio etiam alias ideas conſideraſſet. Appetitionem hanc aut averſationem impetuoſam, affectionem animi vocemus : quæ naturalis homini & laudabilis eſt, quoties rationis tacitæ jugum ſubiens lentorem rationis humanæ corrigit, quo citius & efficacius averterentur mala, bona arriperentur; prorſus ut in palpebris motus eſt arbitrium prævertens, ad defendendos oculos: quæ damnoſa homini, quoties deletis cæteris ideis, nulliſque rationi partibus relictis, brutâ vi fertur; diſcriminis ergo perturbatio commodè dicenda.

Gradus affectionis cujusque quidem reſpondet gratiæ vel moleſtiæ, quam capit aut præcipit mens ex ideâ ſibi obverſante. Verun-

runtamen ſtaminum medullæ cerebri, fibrarumque, varia irritabilitas magnam diverſitatem parit in acumine hujus perceptionis, atque affectionis hinc natæ magnitudine. In quam irritabilitatem homini quoddam imperium eſt.

Et attentio ad ideam præſentem, ad voluptatem vel dolorem quem ſecum fert, ad commodum vel damnum quod animo proponit, quà ea attentio ab arbitrio pendet, non minorem diverſitatem parit in magnitudine ſubortæ affectionis.

Scilicet interdum homo poteſt ideam voluptatis vel doloris genitricem ſupprimere: ſæpe poteſt mentem ab eâ ad alias omnino vel ex parte deflectere: poteſt momentum commodi vel damni expendere ratione habitâ totius ſuæ durationis, quo leve apparere poteſt quod primo intuitu grave videbatur: poteſt idem momentum expendere ratione habitâ conſecutionum quas commodum vel damnum ſibi propoſitum inferet, quo graviſſimum illud prorſus elevari poteſt. Quem rei præſentia ſtimulum acuit, prudens futuri ratio retundit.

Hoc argumentum exemplo illuſtremus; Mortis timor, ille timorum maximus, omnibus communis eſt. Sed horrida tempeſtas quaſſatæ ratis membra ſolvat. Eorum qui rate vehuntur, unus, ideâ periculi præſentis

tis totus occupatus, ſpe curâque ſalutis omni abjectâ, ejulatibus inconditis aëra replet, animo linquitur, & aliquando metu mortis moritur. Alter inebriante potu periculi ideam fugat & rationem exſtinguit. Tertius, liberis cinctus, imbelli turbâ, ſortem horum præ ſuâ dolet, pioque amore proprii periculi obliviſcitur. Quartus imminentis mortis ideam hebetat circumſpiciendo media quibus poſſet evadere. Quintus anteactam vitam repetit, ſtatuque, qui ſe manet, occupatur. Sextus, meliora ſperans, metu parcit.

Atque hæc medicinam animi affectionibus moderandis & prævertendis perturbationibus utilem, in noſtro caſu, indicant. Commotionibus autem animi a voluptate vel dolore, commotionem ejus ab ideâ inſolitâ momentosâque, admirationis genitrice, accenſemus.

Eſt hæc medicina pro variâ adfectionum indole & ægri conditione ſæpe prorſum contraria. Victus lautus, aromata, aromatica, roborantia dicta remedia, nunc ex uſu ſunt: aliàs abſtinentia, egeſtio, refrigeratio, debilitatio. Nunc ideas vino variare, aliàs opio ſopire, convenit.

Nec medicina menti propria minus hìc differt: Suppreſſio ideæ arbitrio facta, commodi vel damni præſentis aut antecepti juſta diſpu-

diſputatio, conciliata varietas objectorum, oblectamenta, contrarii affectus excitatio; conſolatio, objurgatio, minæ, pœnæ, ſummatim ad affectuum moderamen faciunt.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per plenitudinem nimiam vaſorum ſanguinem vehentium intra cranium, ſpeciatim, derivatio liquorum præcipuum remedium eſt.

Studioſum, cui ſanguis in caput crebrò & præter modum rapitur, ſtantem & elevato capite literis operam dare decet, ſub ſitu capitis altiore ſomnum capere, pedes ſemper calidos ſervare; eundem oportet acceſſione invadente ſtudiis ocyus abſtinere, levia & jocoſa cogitare, balneo pedum tepido uti, aërem liberum, quietum, frigidum inſpirare, & ad caput admittere.

Sed feminæ menſtruis diffluere ſolitæ, nec minus illi raptui ſanguinis in caput obnoxiæ, ſæpe a balneo pedum, liquores deorſum divertente, menſes mox damnosè prolici experiuntur.

IN morbis animi ab infirmato cerebro per febres acutas & morbos acutos febriles, non nimis arguti, ſpero, videbimur, quando compreſſionem ſtaminum a nimiâ plenitudine vaſorum vicinorum hìc conjungi opinamur cum ſtaminum diſtentione, quam facit ſpirituum cerebri vel liquoris nervorum conferta transmiſſio. Nihil impedit cur minus

nus in febre acutâ tubus liquorem ſecretum vehens poſſet comprimi a vaſis vicinis turgentibus, & ſimul intus urgeri a liquore trans eum violente acto. Nihil impedit cur minus poſt febrem acutam a prægreſſâ hac compreſſione & nixu in diſtenſionem, conſpirantibus, ἄτονα ſtamina relinqui poſſent. Et φαινομένων remediorumque contemplatio hujusmodi opinionem ſuggerere videtur.

Quare de utrâque hac ratione quâ febris acuta medullam infirmat, atque hinc animo nocet, capi poſſunt ſequentia monita durante febre obſervanda: ut monita poſt febrim acutam tenenda in morbis animi ab infirmato cerebro, per liquoris nervorum confertam transmiſſionem, quoque capi poſſunt de animi morbis a cerebro infirmato per compreſſionem qua de nunc agimus.

Eſt autem, in hoc caſu, durante febre, quiete ſummâ mentis opus. Obſcuro loco agat æger. Aër purus ſit & frigidulus. Adſtantium numerus uſum non excedat. Demiſſâ voce rarâque ægrum alloquantur. Eidem officioſi obſecundent. Epithemata refrigerantia in frontem impoſita & papaverea adſumpta huc ſæpe faciunt.

IN puerili ætate acris attentio & meditatio profunda nocet. Hìc ſtamina medullæ

ce-

cerebri tenerrima, ſed & intentioni longæ necdum adſueta. Idearum etiam & propoſitionum intellectarum ſupellex, tum curta, facit ut propoſitionum implicitarum enodationem puer non inveniat niſi ſummo labore mentis, qui ſtaminum laborem ſummum ponit. Memoria non nimis fatiganda: longioribus intervallis facta perceptionis repetitio pluribus in rebus ſufficiet, ut animo ſenſim & abſque moleſtiâ inſinuentur. Quotidianum ſtudiorum penſum gradatim augendum, ut ſtamina habitum comparent ad ferendas mutationes, quas animus agens ponit. Mens penitus imbuenda repetitis ſapientiæ præceptis, quo poſſit tenerorum ſtaminum irritabilitatem ſummam, affectionum nimiarum & perturbationum fomitem, prompte compeſcere. Imaginatio, fere ut affectiones animi, refrænanda. Judicio diffidendum.

IN ſenili ætate graviori animi labore parcendum: ne infirma medullæ cerebri ſtamina violentur. Ratione prævertendæ nimiæ animi adfectiones tanto majore curâ, quanto major eſt, ob ſtaminum infirmitatem, ad eas propenſio. Objecta grata, ſtudia facilia, varietas utrorumque, victus mollis lautuſque, & vini potus, congruunt ſenibus.

IN ſexu femineo, quum quædam ſtami-
num

num debilitas, ſi ad viros ſpectes, naturalis ſit, actiones mentis ita moderandæ, ut iis par cerebrum eſſe poſſit. Perturbationum animi principiis obſtare decet, ferè ut in imbelli ætate diximus. Vita ſedentaria, potuſque aquei calidi, tantò magis hic nocent, quantò promptius eſt augmentum naturalis debilitatis, & conſecutionum hujus in animum.

RATIO CURANDI DIRECTE MORBOS ANIMI, AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI.

PERCEPTIO OBJECTORUM JUSTO VIVIDIOR in acuta febrili æquè ac diuturnâ ægritudine permoleſta eſt. De lucis pluſculæ appulſu, de adſtantium inceſſu minus leni, de odore fortuito cubiculum irrepente, de campanarum ſonitu, ſimilibuſque innumeris minutiis, magis conqueri ſolent hi ægri quibus infirmum cerebrum eſt, quam de toto morbo quem unà perferunt. Nec tantum moleſtiæ, verum etiam damno notabili eſt hæc irritabilitas. Sæpe levi hujuſmodi occaſione ſperatum ſomnum fugari, febrim exacerbari, animum irrequietum & corpus loci impatiens reddi, ra-

rationiſque uſum turbari, dolet Medicus.

Huic malo medicina fit objecta prævertendo, vel inſtrumenta ſenſuum contra objectorum appulſum muniendo. Sic aurium obturatione ſonos non ſupprimendos eludimus: ſic palato ſtudentes in offerendis alimentis & medicamentis, faucium convulſionem & ventriculi ſubverſionem prævenimus: ſic radios luminis excludendo turbas animi multimodas præcipimus.

Sed objectorum perceptio juſto vividior, cui ſic medeamur indulgendo, paucorum dierum ſit oportet, ut in acutis morbis: aut ſumma ſit cerebri, atque hinc animi, infirmitas, ut in puerperis: aut mors inevitabilis immineat, ut crebrò in phthyſicis. Etenim in diuturnâ medullæ infirmitate, ſic agendo, quotidiana incrementa capit irritabilitas, ut homo tandem ipſi ſibi ſummo tædio, amicis oneri ſit. Cernas feminas ultra ſexum imbelles, viroſque cerebro & nervis infirmos, qui ad levem ſtrepitum expaveſcunt, ad auræ frigidioris appulſum horrore quatiuntur, ad objectum quodque minus placens animo ferè linquuntur: penè teneri nimis, ut rectè quidam, quam ut vivant.

In hoc caſu, morboſæ ſenſuum teneritudini ſeſe ratio opponat. Devorandæ moleſtiæ quas vividiora objecta inferunt. Iis

æger ſeſe gradatim adſuefaciat. Scilicet a conſuetis minus adfici diſcit animus: negataque objectis attentio ſuperadditum ſtaminum motum prævertit. At cavendum, ne vigor objecti in inſtrumentum ſenſus admiſſi principio ſuperet opem, quam animi regimen hic præſtare poteſt: ne turbæ violentæ excitentur.

IMAGINATIO LUXURIANS, ab infirmato tenore medullæ cerebri, moleſtiás quidem urgentes, per ſe, non parit, ſed attentioni, & hinc ſapientiæ atque eruditioni, officit, graviumque ærumnarum occaſio eſt.

Una hujus medicina eſt, ne tranſeuntem quidem attentionem vagis his ideis præbere, ſed hanc ipſam arbitrio coërcere, & ad paucas ideas determinare.

ATTENTIO VOLUBILIS, MEMORIA LABILIS, RATIOCINATIO IN ERRORES PROCLIVIS, ab infirmato tenore medullæ cerebri, par a rationis imperio auxilium deſiderant. Scilicet arbitrium renitatur oportet irritabilitati ſtaminum nimiæ. Id fit, ſi paucis ideis mens conſtanter inhærere nitatur. Sic enim ſuſtinet mutationem ſtaminum quam ſelectæ illæ ideæ ponunt.

MOTUS MUSCULORUM ARBITRIO OBSEQUENTIUM NIMIS

MIS CITATUS, ab infirmato tenore medullæ cerebri, ſpectatur in teneris quando derepente animus his afficitur: ut & quando muſculos ſedulò exercent. In priore caſu toti tremunt parvulam ob rem: in poſteriore, ſimulac ſanguis laborando agitatur, leviter tremulos artus habent. Mentis imperio neuter motus ſiſti poteſt, donec animi commotio & ſanguinis agitatio ceſſaverint.

AFFECTIONUM ANIMI IMPETUOSARUM medicinam ſupra diſputavimus. E diſputatis hoc loco repetamus: ad illas, ab infirmato tenore medullæ cerebri ſubortas, tria ſummatim auxilia eſſe, quibus ſibi præſtandis ipſa mens ægri valeat.

Primum auxilium eſt: attentio negata ideis quæ animum movere incipiunt. Alterum: attentio arbitrio determinata in ideam indifferentem, vel & priori contraria ſenſa animo ſubminiſtrantem. Tertium: diſputatio veri momenti quod habet commodum vel damnum captum aut prævíſum, & quo nos moveri humanum eſt.

Primum auxilium in infirmis hoc ſibi commodum peculiare habet, quod hoſtilis commotio ſine prælio ſic fugetur, quale nunquam depugnatur abſque detrimento virium animi, etiamſi reportetur victoria. Alterum potentius delet ideam adfectionis genitricem.

Tertium animo ritè inſtructo pacem ſtabilem præbere poteſt.

DE TORPORE ET MOLESTIA ACTIONUM ET AFFECTIONUM ANIMI curandis, pariter egimus. Hoc loco, quo ab infirmato tenore medullæ cerebri nata ſpectantur, monuiſſe ſufficit ea corrigi arbitrio mentis, actiones quidem ſuas repetentis, affectionibus autem indulgentis & velificantis, quò ſtamina motu frequentato robur & habitum obſequendi nanciſcantur.

Veruntamen in coacto hoc actionum animi exercitio & affectionum excitatione, ſemper attendenda ſtaminum ſegnius hìc irritabilium debilitas. Prudenter & gradatim omnia fiant; ne ſtamen debile in vitium ſegnitiei oppoſitum ruat, aut prorſum obſoleſcat. Quæ ita fieri poſſe ſuadet effectuum obſervatio. Nam qui vix moventur adfectibus, moti tandem excandeſcunt ſæpe. Dum tardi & hebetes fatigantur ſtudiis, ſæpe, quicquid acuminis iis reſtabat, amittunt. Qui memoriæ tardæ vim inferunt, memoriam omnem facile perdunt. Nec repugnat ἀναλγία. Etenim debile viſcus quod exercitio modico firmatur, nimio deſtruitur. Et frequens eſt torporis atque convulſionis viciſſitudo.

RA-

RATIO CURANDI SYMPTOMATA MORBORUM ANIMI, SEU MORBOS ANIMI SECUNDI ORDINIS, AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI.

IDEÆ quæ ſingulis vitæ vigilis momentis & ſuccedentibus animo obvolvuntur, quaſi infinitæ ſunt. Cœlo ſereno ſiderumque objecta innumera uno intuitu oculos feriunt; quæ ſingula nec mentis proponi hinc liquet, quod nequidem nec quintam mentionem, vel in uno eorum, animadvertimus. Motu oculi aut flexo corpore, aliæ atque aliæ imagines, æque prodigioſo numero, ſtatim obveniuntur.

Nec minorem idearum numerum animo ſiſtit memoria. Ad exercitus aut civitatis nomen, aut prælii terreſtris vel navalis, quot imaginum millia nobis repræſentamus; quæ ſequente momento, ad aliud nomen, eodem aliis locum cedunt!

Imò una idea præſens breviſſimo tempore mille alias, leviſſimè, quæque nos ipſis ſtatim fugit, aſſiduitate connexas poſt ſe ſolet trahere.

Ex imagines tamen valde multiplicium compoſitæ mente obeuntur.

Pariter infinitæ quaſi propoſitiones menti obvolvuntur, cum aliis uſque permutandæ. Conſultus Medicus uno momento cogitat ægri ſexum, ætatem, habitum corporis, vires, vitæ genus, & quot alia, quorum ſingula longiſſimas ſignorum & indicationum agendi ſeries ſubminiſtrant. Ad querimonias de dolore, partis dolentis fabrica, doloris cauſæ omnes, gradus, effectus, remedia, præſto ſunt eidem. Horum omnium alia magis, alia minus prope, Medentis animo adeſſe docet judicium quod de præſente morbo fert, & medicinæ delectus quem facit.

Imaginationis & ratiocinii cultura numerum idearum compoſitarum & propoſitionum indefinitis incrementis auget. In obſcuri argumenti diſputatione ideæ innumeræ combinantur, ſeparantur, comparantur, ordinantur: ut una vera propoſitio e pluribus falſis eruatur. Quantus eſt numerus idearum, imaginum, & propoſitionum, quas in animo formamus legentes cum intellectu!

Ab arbitrio non pendet quin mens percipiat ideas rerum, quæ ipſæ, aut quarum ſigna inſtituto definita, afficiunt inſtrumenta ſana ſenſuum in vigilante. Nec magis ab arbitrio pendet quin mens percipiat ideas affines, quas una præſens poſt ſe trahit, aut quas vaga imaginatio componit. Idem de pro-

propoſitionibus vagis dictum puta. Niſi quod in attentione negandâ vel adhibendâ quædam animo, his in rebus, partes ſint. Cæterum animus ſpeculo ſimilis eſt, quod prætervolantium objectorum imagines neceſſariò excipit. Et vigilans, dum neceſſariò cogitat, ex ideis vagis vagas propoſitiones neceſſariò format, aut formatas percipit.

Stupenda hæc animi dos, quâ tot ideas & propoſitiones, toties variatas, nullo ſuo arbitrio, nedum labore, percipit, homini neceſſaria erat; ut indefinitarum delectum faciens innumeras attenderet, quot attendiſſe ad vitam tuendam & obeunda munera ipſi opus eſt. Dos animi ſtupenda, & neceſſaria homini, licet caſu damnoſa inſonti.

Illæ autem ideæ præ cæteris facillimè ſeſe menti ſiſtunt, quas ipſas, aut quibus cognatas, ſæpius antea ſpectavimus. Atque ea ratio eſt cur in ſcientiis animus, velut in artibus mechanicis membrum quodque alicui harum ſerviens, crebrâ actione habitum agendi acquirat, quo quiſque ſuo in ſtudio facillima incrementa capit.

Hæc omnibus communia ſunt. Sed quum in ideis repræſentandis, & propoſitionibus formandis, animo ſerviant ſtamina medullæ cerebri, neceſſum eſt horum auctâ

irritabilitate numerum illarum, animum prætervolantium, auctum iri: ut ſupra docuimus.

Promiſcua quidem hinc ſequi videatur obverſatio velox imaginum ac propoſitionum, placentium, diſplicentium, & indifferentium. Et re verâ hi quibus infirmum eſt & irritabile cerebrum, nunc idearum & propoſitionum gratiſſimarum vagâ perceptione, præter omnem modum, gaudio efferuntur, nunc ingratarum obverſatione mœſti & abjecto animo ſunt, nunc in eruendo vero ſagaciſſimi, nunc judicii præcipitantiâ delirantes: ut veram inconſtantiæ imaginem exprimant.

Attamen hujusmodi imbelles frequentius ingratis imaginibus & propoſitionibus occupantur. Ut exigua eſt differentia phyſica inter cauſas corporeas voluptatis doloriſque, ita diſcrimen exiguum phyſicum intercedere videtur occaſiones corporeas idearum & propoſitionum placentium horridarumve, quæ animo ſeſe ingerunt. Porro, laſſitudo, dolor, debilitatis conſcientia, hic ferè adſunt, quæ ingratis ideis anſam dent præ cæteris. Metus, affectuum fortiſſimus, ſemel conceptus ad earundem numerum & delectum facit. Et judicii infirmitas, triſtitiam metumque augens, ipſis his animum ferè totum occupari ſinit. Inde vel ſom-

nia

nia hujuſmodi ægris paſſim terrorem ferentia.

Atque hæc videtur origo multiformium nec numerum habentium IMAGINUM ET PROPOSITIONUM HORRIFICARUM, quibus infirmi cerebro diſcruciantur.

Interdum ipſum arbitrium facit ad introïtum harum imaginum & propoſitionum; ſive mens agatur mètu prægreſſarum, ſeu ſe ſibi purgare ſtudeat, ſive de prævertendis iis, poſt irrita & delaſſantia molimina plurima, deſperet; prorſus ut impar luctator poſtremò reniti deſinit & ultro cedit: aut ut homo, incaſſum fugiens, tandem impetenti hoſti pectus apertum præbet: dum nihilo minus utraſque ſic animum occupantes animus horret, & deteſtatur, & ocyus amovet.

Ita, dum firmi prætervolantium imaginum & vagarum propoſitionum placentium, diſplicentium, & indifferentium, illas demum attendunt quarum uſus eſt, cæterarum nullam memoriam tenent, infirmi diſplicentibus & horrificis magis patent, proprio damno eas frequentant, ſemper iis inhærent, & ſummè per eas moventur.

Hinc illa lis in foro infirmæ conſcientiæ, utrum illæ imagines & propoſitiones inquinent? & magis etiam an indicatus ille arbitrii concurſus in culpâ ſit?

Remedio eſt, innocentiæ perſuaſio. Peccatum non eſt, cui vitando homo prorſus non eſt, aut quod mente conceptum horret. Ipſa ſpecies arbitrii, quam diximus, agentis in admiſſione imaginum & propoſitionum terribilium, animum ab iis alienum arguit. Odium illarum, ſimulac admiſſæ ſunt, id monſtrat.

Pariter auxilio eſt, neglectus & contemptus hujusmodi cogitationum. Simulac infirmus eas didicit non timere, ſenſim evaneſcunt.

Porro, huc facit vinum, & quæcunque cerebrum roborant pluries indicata. Remedia antihyſterica dicta, graveolentia, naribus admota, brevem ſtaminibus medullæ cerebri tenorem reddere videntur, & attentionem animi potenter deflectere a præſenti ideâ: qua utrâque ratione tanto hìc ſolamini ſint.

Utilis etiam eſt imaginum harum & propoſitionum uſque recurrentium ſuppreſſio. An fieri poteſt ut homo deleat animo cogitationem odioſam hujuſmodi? In principio hoc pernegant infirmi: qui cum eum in finem ſummâ intentione animi ſopiverunt omnes diſtinctas cogitationes, poſtero momento peroſas has ideas & propoſitiones, quaſi retuſo fluminis impetu nunc ſibi commiſſo, intra ſe ruere ſentiunt. Verum enim

enim vero metu earum ſublato, ſed & tunc demum, fieri poteſt. Tentanti ſuccedit. Aliæ quidem ſimiles inſequuntur ſubinde, ſed neque hominem adeo terrent, & inſenſili gradu recedunt. Donec cerebro novis viribus inſtructo, & mente experimentis edoctâ, naturalem in ſtatum homo redeat.

Inprimis autem hi amant verbis duris excipi a Viro gravi quem ſibi alioquin benevolum ponunt, quique perennes eorum ſuſpiciones improbat. Scilicet in medio timore ipſis ex animi fundo, ut ita loquar, exſurgit innocentiæ teſtimonium: cui dum diffidunt, amant cernere ſummam, quæ alios habet, fiduciam argumentorum, quibus ipſi crimine abſolvuntur.

MODO vidimus originem IMAGINUM AC PROPOSITIONUM INSOLENTIS LÆTITIÆ ET ADMIRATIONIS GENITRICUM, in iis qui cerebro infirmo ſunt & irritabili. Accedens elatio animi, lætitia præcedens, confidentia forte infirmo ſingularis, eas familiares reddunt.

Hìc idea vivida placens errabundam alioquin attentionem, vel ultra quàm par eſt, in ſe trahit: & ſuborta animi adfectio eandem figit. Inde neglectus aliarum idearum & propoſitionum, quas reſpexiſſe & libraſſe oportuerat. Neglectum hunc inſequitur iniquum

quum judicium. Homo propoſitioni vagæ placenti inhæret & adſentitur; & aut ſibi blanditur, aut exaggerat pulchritudinem uſumve rei obverſantis. Creſcit adfectionis immoderatio, ut ultra quam humanum eſt moveri ſe ſinat infirmus, voluptate nimiâ geſtiat, ſpes ſummas & fallaces capiat, objectis verò momentoſis perturbetur, & velut extra ſe rapiatur.

Inſolens lætitia ſic nata tranſitoria eſt: nam fatigatis medullæ cerebri ſtaminibus evaneſcit. Creſcit eâ cerebri infirmitas. Mutatâ ſcenâ ſæpiſſimè triſtitiam introducit paris momenti vel majoris. Vigor imaginis repræſentatæ, vagarumque propoſitionum placentium amplexus, aliquando hominem agit in delirium conſummatum, ut ea quæ geſtit præſentia credat: velut Argivus ille apud HORATIUM (1). Porro inſolens hæc lætitia hominem officiorum negligentem facit: & inebriatum potius quam beatum præſtat. Nec admirationis inſolentis ratio diſpar eſt.

Vitia hæc & damna præſertim ſpectabilia ſunt quando anſa horum capitur e religione. Quandoquidem omnia maxima ſunt quæ ad eam pertinent, immodicæ admirationi debilis & irritabilis facile in his indulget.

(1) *Epiſtolarum Lib.* II. *Epiſt.* II.

get. Quum, quicquid pulchrum & utile eſt cumulando, beati hominis ideam efformamus, infirmus facile, ſpe tanti boni, ſibi juſto fidentius blanditur, ſeſeque extollit.

Rarior occaſio eſt his medendi. Inſolenti lætitiâ affectus animus vulgò ſpernit conſilia tranquillæ rationis. Nec unquam rerum dignarum admiratio nimia creditur. Veruntamen indicatæ conſecutiones utriuſque modum ſuadent. Et ſuccedens, vel alternatim invadens, animi abjectio ſæpe conſiliis viam ſternit.

Conſiliorum autem hæc præcipua ſunt: Nihil virtutis eſt in inſolenti lætitiâ vel admiratione. Feliciorem hominem hæ reddere videantur, non reddunt laudabiliorem: quo tamen inprimis nomine in religionis negocio iis fræna laxare amant hi infirmi. In eo virtus eſt, ſi mens, quà poteſt, curet ut humano more moveatur. Humanum autem non eſt, voluntariè inhærendo ideis aut propoſitionibus gratis momentoſisve, voluptati præſenti præceptæve aut admirationi ita indulgere, ut vires corporis exhauriantur, de rationis uſu homo periclitetur, & deſit officiis. Imò in damno cenſenda lætitia quam ſuccedens moleſtia præponderat.

Quare ſimulac lætitia vel admiratio modum exceſſura præſentitur, attentio imagi-

ni

ni vel propoſitioni neganda eſt, & in aliam deflectenda. Porro, vacatio functionum animi hìc imprimis conducit, & cætera quæ infirmorum & irritabilium ſtaminum tenorem reſtituere valent.

Temerè ergo quidam animi abjectionem, elationi hujuſmodi ſuccedentem, ſingulari DEI providentiæ adſcribunt, irrequieti donec elatio mentis redierit. Ab elatione ſibi temperare decet, ut vitetur ejus pediſequa abjectio.

INFIRMA ſtamina medullæ cerebri, quæ ſimul irritabiliora, cæteris paribus, objectorum perceptionem nimis teneram, & motum muſculorum adfectui ſuborto reſpondentem juſto celeriorem, faciunt. Sed & animi conditio facit ad teneritudinem perceptionis, & indicati motus celeritatem. Animus ideâ certâ vividiſſimâ occupatus ad alias percipiendas hebes fit. Quando idea prior, occaſione infirmorum ſtaminum vividiſſimè percepta, animum tota occupat, idea ſequens vel vivida hominem utcunque irritabilem non movebit. Sic ergo in homine infirmi & irritabilis cerebri, perceptio plurimorum objectorum obtuſa fit, & motus muſculorum adfectioni ſubortæ reſpondentium ſegnis.

Pariter, infirma ſtamina quæ ſimul irritabiliora cæteris quidem paribus volubilem at-

ten-

tentionem faciunt, ſed & ideas faciunt vividiores & adfectiones animi paratiſſimas. Ideæ autem vigor & animi moti arbitrium figunt attentionem. Ergo ſimulac ideæ vigor & animi adfectio, in his qui cerebro infirmi ſunt, ſuperaverint irritabilitatem ſtaminum quam infirmitas ſuperaddidit, ATTENTIO IN UNAM IDEAM NIMIS FIXA erit.

Homo cerebri infirmi & irritabilis qui uni rei ſummo ſuo damno inhæret, cujus amore odio vel admiratione ſummopere adficiatur, gradatim ad objecta omnia, monita, præcepta, torpeſcit, ἀπαθὴς fit, ſacra profanaque agit quaſi non agat, rei familiaris curâ non tangitur, omnis neceſſitudo ei levis fit & evaneſcit. Idem calore, frigore, ſiti, fame, vix movetur, propria membra ipſi vix ad ſeſe pertinere videntur, intermortuum ſeſe ipſe conqueritur.

Sæpe vel invitis & aliter ſtatuentibus attentio in hunc modum figitur. Idea vivida prior, quam negligere homini ſtabat, leviſſimâ præſentis ideæ affinitate ducta facillime animum obrepit, & nec opinum occupat, ut attendendo jam delaſſetur homo, priuſquam inſinuatæ hujus ideæ promptam miſſionem ſe conſtituiſſe reminiſcitur. Qui chartis impalleſcentes, feſſi, ſtudiis impræſentiarum finem ponere decernunt ocium aut ſomnum capturi, hi paulo poſt ideas priſti-

priſtinas experiri ſolent, quæ negocioſam mentem reddunt, laſſitudinem augent, otium interrumpunt, & ſomnum longè arcent. Imaginibus & propoſitionibus horrificis aut inſolentis lætitiæ vel admirationis genitricibus, hoc etiam ex capite, attentio tam ægrè conſtanter negatur.

Attentionem morboſè fixam ſopit animi juſſum iteratum: objectorum varietas: labor ſuſceptus: dolor excitatus: vinum: opium. Poſtea omni modo ſtudendum robori medullæ cerebri generatim. In quo vacatio mentis præcipua eſt.

Medicinæ hujus uſus ex ejus neglectæ damnis liquet. Phædria ille Terentianus, qui, ſui memoriam animo amicæ infixam cupiens, imaginem animi proprii vivis adeo coloribus depingit, ipſe de ſe (1):

Nunc & me miſerum ſentio,
Et tædet: & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Vivus videnſque pereo: nec, quid agam, ſcio.

INFIRMA ſtamina labilem memoriam faciunt, quia conditionem ab idea præſente natam, ſibi inhærentem, minus fidè conſer-

(1) V. TERENT. *Eunuch. Act.* I. *Sc.* I. & II.

ſervant, aut cum aliâ atque aliâ permutant. Vigor autem inhærentis conditionis etiam differt pro ideæ vigore & attentione animi. Simulac ergo ideæ vigor, & animi attentio magna & ſtabilis, in his qui cerebro infirmi ſunt, ſuperarint ineptitudinem indicatam ſtaminum, vividâ impreſſione conditionis inhærentis MEMORIA CERTÆ REI MORBOSE TENAX erit.

Pudendarum voluptatum, damnorum toleratorum, injuriarum acceptarum, infirmi ſæpe reminiſcuntur inviti. Sacris etiam meditationibus occupati denuo appellentes hujuſmodi ideas imprimis dolent. Ubi morbo urgente, vel morte imminente, proſtratæ vires remediis locum vix præbent, ſumma inde tædia ferunt.

Neglectus appellentium harum idearum, negataque attentio, ſolamini eſt. Tenor priſtinus cerebro conciliatus ſanationem abſolvit.

AFFECTIONUM ANIMI, PRÆTER UNAM, OMNIUM, SOPOR, ab infirmâ & irritabiliori medullâ cerebri, facile capitur è præcedentibus.

Amor, odium, ſpes, metus, gaudium, mœror, abjectio, & admiratio, cæteræque turbæ, alternis mentem infirmi agitare ſolent. Quod ſi affectio occaſione ſtaminum infirmorum nata maxima ſit, & intentio animi

ſuperarit mobilitatem eorum, affectio illa ſola mentem tenet. Hinc infirmorum pertinax vindicta, triſtitia, timor, deſperatio. Qui amorem diu meditati cerebrum violarunt & ſpe falluntur, uni hujuſmodi affectui mordicus inhærent.

Perturbationum animi remedia ante indicata ſunt. Eò autem promptior & diligentior cura hìc poſtulatur, quò celerius ægritudo animi fixa rationis imperium deſtruit.

SYLVA MONITIONUM GENERALIORUM PRO CURANDIS MORBIS ANIMI, AB INFIRMATO TENORE MEDULLÆ CEREBRI.

IN morbis animi ab infirmato cerebro, præſtat unum corporis animique ſimul Medicum eſſe. Qui ſolius animi curam gerit, neſcit opportunitatem conſiliorum, & modum quem fert infirmum cerebrum. Qui ſolum corpus curat, ignorat juſtam animi præparationem, quæ medicinam corporis tempeſtivam facit. Quod ſi alteruter a recto medendi tramite deflexerit, irrita ferè ſunt, licet apta, molimina alterius.

INPRIMIS eligatur animi Medicus de quo fiduciam æger concepit. Auctoritate qua-

quadam opus eſt, ut ſuſpicioſus æger, vel perturbatus, vel aliter delirans, ſæpe quaſi cæcâ fide acquieſcat conſilio, cui proprius error, aut metus, aut impetus, aut mentis inclinatio, repugnat. Præpoſtera ægri de Medico ſuſpicio ſaluberrima hujus conſilia irrita reddit, aut irrita præviſa dari prohibet.

CONSILIA quibus infirmorum ægræ menti medeamur, non niſi ſummatim indicari poſſunt. Indefinita varietas eſt læſarum actionum & adfectionum animi. Et varium eſt ægrorum arbitrium, quo hic medicinæ ſuæ velificatur, ille refragatur. Animi Medicus ſectarum ſtudio liber; humanam mentem & ſphæram facultatum ejus edoctus; perſpectum habens quid ex vero ſit honeſtum, quid turpe, quid utile, quid in damno ponendum; & idem probè gnarus diſcriminis actionum hominis brutarum, & arbitrariarum ſeu moralium, miſtarumque; Medicus, inquam, animi talis ad diverſimoda mentis vitia ſolis utitur præceptis generalibus.

MOMENTOSUM iſthoc diſcrimen humanarum actionum ut delibemus. In homine motus obſervatur, primò, αὐτόματος, tùm perennans ille, tùm incerti ordinis:

cor, arteriæ, ventriculus, inteſtina, uveæ oculorum membranæ, exempla præbent. Secundò, motus obſervatur hic idem ἀυτόματος, morbidè alteratus. Tertiò, motus eſt arbitrarius, ille plerorumque muſculorum communis. Quartò datur motus ἀυτόματος, & idem aliàs arbitrarius: ut in muſculis qui ad reſpirationem & deglutitionem faciunt. Quintò, fit motus muſculorum alioquin arbitrio obſequentium, prævertens arbitrium: palpebræ irruentia corpora mox arcent, aut pellunt; in terrore totum corpus exſilit, periculoſo ceſſurum loco. Sextò, motus accidit, arbitrio ceſſante pergens: ſuſceptum iter pedeſtre nec cogitantes abſolvere ſolemus, nonnunquam & excedere terminos mente conſtitutos; ſermonis, memoriâ comprehenſi, magnam partem ſæpe ſine ſermonis conſcientiâ pronuncianus. Septimò, obſervatur motus arbitrio dudum prægreſſo demum reſpondens: qui dormituri anxiè conſtituunt horâ certâ ſurgere, hi ſolent præmaturè, inſolitâ quamvis horâ, & necdum corpori refectionis egeno aptâ, expergeſieri. Octavò, fit motus muſculorum alioquin arbitrio obſequentium, ſopitâ ratione humanâ: in deliris, ſomniantibus, noctambulonibus. Nonò, deprehenditur motus muſculorum eorundem naturali ſimilis, ſopitâ omni mentis actione, nedum ratione:

ne: juvenem a concuſſo capite convulſum, ἄφωνον & amentem vidimus, cui vel admoto lumine pupilla latiſſima manebat, qui tamen nictabat naturalem in modum. Decimò, advertitur motus muſculorum eorundem, ſopitâ omni mentis actione, violentus: in caduco morbo ſoporem demum ſequitur convulſio. Undecimò, eſt motus eorundem muſculorum integræ rationis arbitrium eludens: ut in tremore, horrore, rigore, quem acceſſio febrilis aut appellens frigus parit: Ab intentatâ laterum titillatione quantopere toto corpore contremiſcit irritabilis? Duodecimò, contingit motus ipſorum eorum muſculorum, arbitrio reluctanti contrarius: talem experimur in lamentis, riſu, tuſſi, ſternutatione, curſu præcipiti, nec ſtatim refrænando; ſic & in morbo mirabili, qui Chorea Sancti Viti vocatur. Mens excitando vel ſopiendo motui muſculorum, qui ad libidinem faciunt, occaſionem non cauſam præbet; aliàs neutram: irrito ſeſe ſtimulo agit impotens, dum robuſtus ſæpe vel invitus ardet.

In perceptione idearum, quas corporea cauſa cerebrum mutans ſuggerit, arbitrii nullæ partes ſunt. Fuga cauſæ mutantis, aut ſopor mentis, ſola poſſunt has ideas prævertere.

Imaginationem, memoriam, attentionem, citra arbitrium excitari poſſe ſupra vidimus:

pronas etiam errorum occaſiones, in judicando, a corpore naſci.

Adfectionum animi vera indoles, & in eas vis arbitrii, puto, ſupra pariter indicata eſt: quæ vis arbitrii hìc uſque adeò limitatur, ut principio, tùm à mente tùm à corpore diverſo, viri graves ipſas tribuerint. Idea rei placentis, moleſtæ, vel inſolitæ momentoſæque, tanto interdum eſt vigore; tanta hinc naſcitur appetitio, averſatio aut admiratio; tantæ denique ſunt, quæ his reſpondent, liquoris nervorum conſumptio & ſtaminum medullæ cerebri intenſio; ut rationi locus prorſum nullus ſit, horæ momento vita deſinat. Aliàs mirificè hinc læditur corpus, & mens perturbatur; ut eorum, quæ tum egit homo, prorſum ignarus maneat. Vulgò verò rationis imperio plus minuſve circumſcripto mentis adfectiones poſſunt ſubjici.

AT, quod hìc expreſſè monendum eſt, homo multimodis poteſt prævertere multos ex animi vitiis inſuperabilibus. Sic ocioſo & tepidæ potori mobilitas animi non refrænanda eſt, quæ in eodem homine laborioſo & aquæ abſtinente abſuiſſet, vel frænum accepiſſet. Rationis cultu ſedulo imperium ejus creſcit: & longo actionum animi moderamine tenor ſtaminum medullæ cerebri

con-

confirmatur. Hinc minor & rarior mentis turba. Abnormes gravidarum appetitus quot & quanti ſunt, in delicatis nimium, & rationis negligentibus! in prudentibus & moleſtiarum patientibus quam rari & modici! Nimirum prævertendum aut ſuperabile animi vitium, idque vel a corpore natum, morale cenſendum eſt: & contra. Prorſus ut animi immunitas a certo vitio, eò minus eſt moralis, quo magis corporis conditioni debetur. Quæ adeò vera ſunt, ut Magiſtratus excuſet animi turbam qualemcunque, quæ in fortem virum cadit; ſupplicium vel capitale decernat in hos qui ſtimulo acti quem retundere decuerat, crimen commiſere; mitius autem animadvertat in illos qui non violentè quidem turbati, ſed tamen ſtimulo vix retundendo acti, deliquerunt. In lenitatem erga reos ubique pronior: quoniam intelligentia humana impar eſt actionibus hominis moralibus ad amuſſim dijudicandis.

MEDICINARUM animo propriarum unaquæque adminiſtranda eſt in tempore, quod rerum omnium eſt primum. Omittatur quæcunque frugifera non fore prævidetur ob ſingularem ægræ mentis conditionem. Nulli nimis diu inhæreatur. Joci ſeriis opportunè ſæpe interſeruntur. Philoſophan-

dum, ſed paucis: nam omninò, ſæpe diſplicet & ſatietatem parit.

UT infirmi melius ferant onus morborum animi, confert ſtatum ipſorum juſtè diſputaſſe, quo levetur oneris exceſſus apparens. Uniuſcujuſque temperies, aut alia conditio peculiaris, eum ut corporis ita mentis morbo certo, præ cæteris, obnoxium facit. Alterutrum imminentem ſtudio prævertiſſe prudentiæ laude non caret. Eò autem excellentior quiſque habendus eſt, quò urgentius periculum præſens conſilio emergit. Infirmus, qui phantaſiam refrænat aut excitat, qui attentionem figit aut avertit, qui memoriam excolit, qui affectus moderatur, qui judicium cohibet, aut aliàs emendat, ubi corporis iniquâ conditione fertur in contraria, clarus imprimis aut & ſapiens haberi debet. Qui lætitiam inſolentem, metum, diffidentiam, mœrorem, in quæ pari occaſione fertur, ratione ſuperat; qui obluctatur imaginibus & propoſitionibus horrificis, nec obmurmurans; horrendaſque morborum horum animi conſecutiones præcidit; is exantlato opere egregius cenſeatur. Et naturale malum animi morali prævertendo aut corrigendo efficax eſſe poteſt. Nec eſt quod vereatur irfirmus, invitum ſeſe pondere moleſtiarum corruiturum. Simul enim ac ini-

iniqua corporis conditio ſuperaverit momentum virium, ceſſat officium: nec laudabilis eſſe deſinit, qui, donec vires ſuffecerint, animoſè reſtitit. Virtutis humanæ palæſtra finitur, ubi vis ac poteſtas humana ceſſat.

Nonne autem, ut id verbo tangamus, corporis & animi differentia hinc fit evidens, quod animus ægrè quidem, at poſſit tamen, actiones edere contrarias iis, in quas corporis conditione fertur? inchoantibus animi turbis, non ſummis, homo tener indulget aut reſiſtit prò arbitrio. Nonne corporis & animi velut in unum conjunctio hinc demonſtratur, quod, poſitâ certâ corporis conditione, mens vel invita agat? Eſt ubi horrificas imagines & propoſitiones infirmus vix magis effugere poteſt, quam illuſtrata objecta ſano oculo, reſectis palpebris, obverſantia. Nonne de corpore & animo humano nimis diviſim loqui ſolemus? Verè homo unum eſt.

De cætero, homo non tenetur propenſionum in quas fertur, niſi quà ſciens volens, aut certè incurioſus, duci ſe ſinit adverſùm naturæ rerum ordinem & leges ſibi latas. In eo ſita eſt actionis humanæ turpitudo, quam pœnâ dignam cenſeat Rex bonus & ſapiens.

IN mœrore, diffidentiâ, deſperatione,

ab infirmato cerebro, Medicus animi ſedulus vitet tumultum omnem, & verborum ampullas. Nempe mobilis æger a re levi offenditur: nec liberiorem hominem ſerius & ſeverus penetrare poſſe putat in mali naturam, quod ſuæ mentis penetralia tenet. Idem animi Medicus ad συμπάθειαν ſeſe, vel etiam ſtudio, componat: benevolentiæ hæc teſtificatio mirâ dulcedine trahit ægrum, & morigerum eum fidentemque facit. Porro, in primis eruere nitatur originem, ſæpe tacitam, turbarum ægri; ſive ea cauſa ſit, ſeu conſecutio, infirmati cerebri: ni enim ægrum intus & in cute noſcat, vana erit, quam adornabit, medicina mentis; & corporis medicina tum rarò erit frugifera. Momenta eorum quæ ægrum malè habent, lance tam æquâ libret, ut hic perſentiat Medicum ſuum ipſa pernoſcere, ſatiſque attendere: alioquin æger nil movebitur, quicquid Medicus differat. Homo imprudens meditabundum & triſtem excitet ad riſus jocoſque: indignabitur hic moleſtum interpellatorem. Diluturus mœroris cauſam, formidinem pulſurus, correcturus errorem, amicè & familiariter, at & lentè, diſtinctè, & graviter, argumenta proponat, numero pauca, clariſſima, certiſſima, quibus communis omnibus ratio ſtatim adſentiri queat: ſi vel quicquam obſcuri falſive detexerit æger, actum eſſe

ſo-

ſolet de toto molimine. Simulac uno alteroque argumento pacari cœptus infirmus, ad tertium aut quartum, edito profundo, ut fit, ſuſpirio, levamen & adſenſum indicat, ſubſiſtere monendo debet medicus, & otium imperare animo, qui non ſine cerebri fatigatione inſtruitur.

POSTQUAM is qui ab infirmato tenore medullæ cerebri mœret, diffidit, deſperat; ſemel, aut iterum forſan, erroris convictus eſt ſedatuſque, redivivum animi vitium vix amplius refert ratiocinando impugnaſſe. Id agendum, ut antea ſeſe victas dediſſe manus reminiſcatur infirmus; & ſine novâ materiæ diſceptatione, cæcâ jam fide, judicio prius lato acquieſcat. In eo rei cardo vertitur. Simulac ſemel attentionem conſtans negaverit cauſæ actæ, quam denuò agere ſuadet mens ſuſpicax & formidoloſa, ſentiet ideas minaces evaneſcere; firmari cerebrum; gratulari ſeſe ſibi de eluſo hoſte; &, tertiâ quartâque turbarum animi acceſſione, ſeſe pellendis, aut potius negligendis, ſpernendiſque, illis ideis longe promptiorem eſſe; tandem & ficta mala, vel præter omnem modum exaggerata, mirabitur.

Nempe certitudinis humanæ quidam finis eſt, non modò reſpectu argumentorum, quorum propoſitio quæque demonſtranda

ca-

capax eſt; verum etiam reſpectu cerebri, quod certæ ſolum attentioni ſervire par eſt. Homo ſanus animo & corpore ſimulac ideas judicio formando neceſſarias præſentes habet, ex earum comparatione judicium format, in quo acquieſcit. In rebus momentoſis forte ſemel & iterum revocat ideas & comparationem renovat, ponè quæ omnino acquieſcit. Hoc adeò verum eſt ut viri dentur ſcientiſſimi, qui neſciant quid ſit de re facile perſpiciendâ, ut de propriæ mentis candore, ſincero an fucato, dubitare. Sed non omnibus contingit illa ſanitas. Homo animo & corpore infirmus, ſine cauſâ timet imperfectam fuiſſe idearum enumerationem vel comparationem, atque adeò erroneum eſſe judicium. Quamobrem illas uſque repetit. Cerebrum autem etiam ſic occupari, fatigari, debilitari, pergit, & ineptius evadere ad actiones animi. Idcirco cunctæ ideæ uſque minus diſtinctæ repræſentantur, & judicium vacillat; ut homo tandem de rebus clariſſimis ſubdubitet: atque eò quidem magis, quò ſæpius repetitur meditatio evulſura ſcrupulum.

Quare utcunque momentoſa videatur propoſitio, cujus pleniorem perſuaſionem infirmus incaſſum deſiderat, eum adquieſcere oportet judicio ſuo præcedenti, neglecto erroris metu. Neque hoc tantum: ſe d& at-

attentio neganda novis propoſitionibus affinibus quæ dubiæ videntur, utcunque momentoſis, quæ animo ſeſe ingerunt; ut fieri ſolet his debilibus, quos ſuſpicio, metus, angor, & ſimiles turbæ, perpetuò jactant.

SEMPER aliquod periculum habet, vi tractare ægrotos animos eorum qui cerebro debili ſunt. Niſi enim huic vi cedant, ſpes fere decollavit, hominis ob vim illatam exoſi ſive conſilia, ſeu monita, dein ægro ex uſu fore. Quin univerſim tum immorigeri aliquando fiunt. Quare non facile res eò redigenda eſt; præſertim quamdiu turpis actio non acceſſit, & aliqua ſpes affulget ægrum ratiociniis flecti poſſe. Neque illi facile hoc negocium mandandum, qui primariam ægri curam gerit. Aut certè lentè feſtinet in adhibendâ vi; quò poſſit opportunè gradum ſiſtere, & ad humanitatem deflectere, ſimulac ambiguo priore remedio mentis ægritudinem potius exaſperari perſenſerit.

SUMME periculoſum eſt negligere vel contemnere triſtitiam, metum, angores, infirmorum. Sæpe etenim præter exſpectationem intenduntur hæ animi turbæ. Infantes ſpectrorum timidi, in tenebroſo loco ſoli relicti, quoties convulſi ſunt & damnis gravif-

viſſimis mactati! Quoties adulti deſperan-
tes αὐτοχειρίαν commiſerunt!

SÆPE tanta eſt ſtaminum medullæ cere-
bri infirmitas, ut evigilans, atque adeo co-
gitans, mox animi ægritudinem ſentiat. A-
liàs medullæ ſtamina infirma levi mentis o-
peri adhuc valent. Omnino ut infirmus mu-
ſculus nunc ab omni contractione dolet, a-
liàs levem motum ſine moleſtiâ fert. In
priore caſu ſenſus ægritudinis præverti ne-
quit. Quoniam autem debilis & irritabilis
actionibus & affectionibus animi nimiis fa-
cile indulget, unde perpetua illa ægritudo
magna incrementa capit, ſolitudinis fuga &
levium objectorum variatio ſaltem juvat, ca-
vendo ne mens ideis laborem facientibus in-
hæreat. In caſu poſteriore regimen animi
imprimis valet: nam dum labor virium te-
nuitati reſpondet, abeſt ægritudinis ſenſus.
Teneræ & infirmi dum tranquillè tacitèque
vivunt, morbos animi ſemper imminentes
eludunt. Quanta cautio teneris infirmiſque
debetur præ cæteris, ne ipſorum imaginatio
præter modum excitetur, ne affectus nimii
moveantur, neve ſcrupuli his injiciantur,
quos imperfectus rationis uſus vix poſtmo-
dum evellat!

INFIRMUS ni immodicis affectibus ſe-
ri-

riò obluctetur, tandem, inſtar pyrii pulveris, inflammatur facillimè, ſibi aliiſque intolerabilis; inſolenti lætitiâ, vel triſtitiâ immoderatâ, viciniſque motibus uſque jactatus. Niſi affectuum torpori morbido medicinam quærat, ſtipes evadit. Et actionum animi neglectæ læſiones incrementa quotidiana capiunt.

AT infirmum non adſpirare oportet in exercitium actionum animi integerrimum, aut in perfectum affectionum moderamen, quamdiu medullæ cerebri tenor infirmatus eſſe pergit. Si mentis intentione ſummâ in id nitatur, violabit cerebrum. Sin, idem præſtare, officii ſui opinatus fuerit, ficta peccata dolebit, aut levia exaggerabit. Arbitrium conſecutiones vitioſæ ſtaminum conditionis nunc antevertet, aliàs vitioſa ſtaminum conditio eludet arbitrium. Inter infirmos pares optimus ille eſt, qui vitiis minimis urgetur, præter ea quæ fert humanitas. Scilicet, iniquus cenſeatur, qui irritabilitatem adfectuum majorem atque res fert, cæteris paribus, adoleſcenti quam adulto, mulieri quam viro, non citius condonet. Ampliſſima & momentoſa meditandi materies!

FREQUENTER operæ precium pulchrum ſtatim fert animi Medicus; puta, quan-

quando æger animus argumenta, ad minacem errorem, vel metum præpoſterum, opportuna ſtatim probat. Gravidæ, poſt ſummos & diuturnos parturiendi labores, dexteritate Chirurgi infantem enixæ, primis momentis tenerrimo amore proſequi ſolent manum auxiliatricem. Par ratio eſt in hoc caſu. Si lætitia homo perfruitur poſt nuperam quamque inventionem ejus, quod verum aut honeſtum eſt; ſi veri aut honeſti Magiſtrum pietate proſequitur: quibus gaudiis exſultabit edoctus verum quod ab urente curâ liberat; quanto amore magiſtrum colet, qui levat ipſum animi onere moleſtiſſimo!

CORPORIS Medicus in morbis animi ab infirmato tenore medullæ cerebri dijudicet neceſſe eſt, utrum ſola illa infirmatio in vitio ſit, an alii cauſæ jungatur? Indignamur, quandocunque cernimus apparente longo mœrore, metu, imaginatione læſâ, attentione nimis fixâ, poni ſtatim ſuccos quos vocant melancholicos, qui præcordia vel membranas cerebri gravent; & contra eos, toties fictos, nocentia dari medicamina. Qui medullam infirmatam accuſaret & impugnaret, ubi diverſa morborum animi cauſa eſt, pariter peccaret. Verum etiam is deliraret, qui duplicem cauſam ſimplici medicinâ aggrederetur. Sic animi turbæ a vero malo

hy-

hypochondriaco poſſunt medullæ ſtamina infirmare, eoque ipſo novam ſimilium turbarum cauſam gignere: ut obſtructione reſeratâ mentis vitium non ideo ſemper tollatur. Hinc liquet, quandonam, quo & quanto jure, morbi animi in hypochondriacis impugnentur remediis firmando cerebro proficuis, præter ea quæ obſtructiones reſerant?

NECESSUM etiam eſt dijudicare, utrum ſolius medullæ cerebri an ſolidarum partium omnium communis infirmatio adſit? Quibus valentibus animi quoddam ſtudium tenorem medullæ violavit, his miſſio ſanguinis, his purgatio, prodeſſe poſſunt, ſubtrahendo liquores, quorum copiæ ferendæ non eſt medulla cerebri nunc debilitata. Contra, qui univerſim debiles ſunt & irritabiles, neque ſanguine abundant, hi rarò ſine ingenti præjudicio multam liquorum jacturam ſubeunt. Quare nemo ſeſe patiatur ineſcare fallaci levamine, quod miſſio ſanguinis principio his adferre ſolet. Creſcit inde prima mali cauſa. Sicubi angoris acceſſio vehemens, aut raptus liquorum in caput, venæ ſectionem urget, modum ſaltem ſuadebit hæc conſideratio.

IN generali laxitate vaſorum, & boni ſanguinis penuriâ, cerebro debili utiliſſima eſt abdominis totius modica & æquabilis conſtrictio, qua ſanguis uberior in arterias carotides derivatur. Puſillanimes & meticuloſi arctato abdomine ſæpe promptiſſimum ſolamen percipiunt. Vix ſeſe ſuſtinent feminæ, & animo languent, quibus venter ſtringi ſolitus relaxatur. Veruntamen ferri ſæpe nequit hujuſmodi conſtrictio, utcumque proficua, propter difficultatem quandam reſpirandi hinc natam, infirmis nonnullis intolerabilem.

QUI morbis animi vexantur ab infirmato cerebro per prævios animi labores nimios, horum pars medicamenta numeroſa & uſque variata amat: pars omnia ea renuit. Poſterius affecto morbo, auxilium humanum omne deſperantibus ægris, accidit. Prior conditio etiam in vitio eſt. Pauca medicamenta ferè hìc conveniunt. Quies cerebri, ociante animo capta, palmarium cenſeatur, quo debile illud & irritabile reſtituitur.

OPPOSITI ſint nec explicabiles, comperti tamen & quaſi promiſcui ſunt effectus infirmatarum fibrarum in muſculis, tendinibus

bus & nervis, torpor & nimia irritabilitas, reſolutio & convulſio. Hinc ratio capitur cur idem remedium in excedente æquè ac deficiente ſtaminum irritabilitate poſſit laudari. Medicamenta quæ roborant, dum debilitati medentur, utrique huic debilitatis effectui poſſunt mederi.

ANGOR animi vim opii ſæpe hebetat. Vomitoria ideas mutatura, quod ad infirmos, non amo hactenus. De ſubmerſionis uſu nil habeo dicere.

VINUM diluat, opium ſopiat, animi morbos, nec redituros, qui recentes ſunt & quæ ſunt conſecutiones meditationis nimiæ ſingularis, vel levioris aliûs cauſæ, quæ ſtamina medullæ fatigaverit. Quando verò morbi animi pendent a cerebro gravi aliquâ & ſtabili cauſâ infirmato, fruſtra fueris illa propinando, ſaltem perfectæ ſanationis ſpe excides, ni prius & animo & corpori, ſed animo præcipuè, medelam adhibueris. Scilicet evigilanti aut ſedato mox præſto ſunt priſtina cura, metus, triſtitia, deſperatio, reliqua; ſive hæc ab animo primùm nata cerebrum infirmaverint, ſeu ſint conſequentiæ cerebri aliunde infirmati. Quid quod παραλήρησις vino facta augeat interdum diffi-

dentiam hominis nondum inſtructi. Pariter inſtabile eſt lucidum longi mœroris intervallum, quod comœdiæ, vel alii gratæ objectorum variationi, debetur, ni ratione mœror levatus ſit. Imò intempeſtivi luſus his frequentiſſimè tædia pariunt non ferenda.

QUI diſſipatis vino curis, & fugaci tenore medullæ reddito, ſtudiis aut meditationibus novis mox indulgent, hi planè peſſundant cerebrum. Infirmitatis hoc præſidium ocyus conſumitur, & effœtorum ſtaminum tenor infirmiſſimus evadit.

EST ubi ſummæ animi turbæ ſolo tempore diſpareant. Stet homini maleſana ſententia, fictâ de causâ pœnas æternas, nec evitabiles, in morte ſe manere. Huic ſummæ ſolent naſci mentis perturbationes, quæ cerebri medullam ita violant, ut ſæpe prorſus inepta ſit quæ rationi ſerviat. Videtur autem hic homo mœrens & anxius poſſe tandem adſuefieri ideis horrificis, aut delirus oblioiſci earundem: unde minor attentio ſequatur, & inſenſili greſſu vires recuperet infirmata medulla quieſcens, dummodo labem immedicabilem ea nondum contraxe-

traxerit. Certè deprehendimus, neque id rarò, hujuſmodi primum delirii ſtimulum hebetari ſponte, delirium ipſum gradatim recedere, & ægrum tandem ſibi reddi.

UT prima cautio eſt in morbis animi ab infirmato tenore medullæ cerebri, quod principiis homo obſtet, ſic altera eſt, quod medicinæ ſedulus inſiſtat. Præcedens quæque victoria proximæ fundamentum eſt. Exempli gratia: Pacato homini, cui cerebrum infirmum eſt & irritabile nimis, idea aliqua aut propoſitio horrifica redeat, in meditationem profundam tacitè flectatur, affectio animi priſtina vel priſtinæ ſimilis obrepat; ni ſtatim arbitrio hæc ſopiantur, priſtina fatigatio cerebri redit, & victoriam clades excipit. Ut ferè neceſſum ſit Medicum ſemper præſentem eſſe. O quoties Siſyphi ſaxum nos volvere hìc dolemus, quando turbas, hodie compoſitas, neglectu vel errore ægri & adſtantium poſtridie redivivas cernimus!

NOTANDUM hìc eorum cacoëthes, qui notum ægrum, præſertimque acutè decumbentem, importunè officioſi viſunt, & inutili ſermone fatigant: qui ludicris intem-

peſtivis curas infirmorum mordaces, longaſque, ſtulti tollere nituntur: ægro ſæpe graves ipſi, ſemper Medico.

NEC notandus non eſt ſupinus error eorum, qui curas præcipuas uſque in vitæ periculum conſultò rejiciunt. Omnimoda ineptitudo ad gravia negocia, tum ſolennis, non ſola diſſuadet hoc inſtitutum. Verum inſuper mens ferè nunquam in acuto febrili, rarò in diuturno morbo gravi, intenta eſt abſque ſpectabili valetudinis detrimento per omnia. Infirmatum cerebrum æquam violentiam labore mentis ſuſtinet, ac infirmatum aliud viſcus aut muſculus, a coacto labore ſibi proprio. Ideo intentionem animi in his qui gravi morbo viribus orbi ſunt, ſequi ſolent capitis dolor, vertigo, inſomnia, ſomni ſpectris abrupti, cordis turba, convulſio, febris exacerbatio, virium ingens diſpendium, perverſio ſalutarium naturæ moliminum. Quam triſtis eſt ægri conditio, apud quem corporis & animi Medicus alter alteri impedimento eſſe timet! Veſanum eſt, moleſtias præterquam quas ipſe morbus habet, addere inſtituere; dum illæ, quas habet, plus ſatis ægrè ferantur.

CON-

CONFIRMANDÆ ſanationis ratio in morbis animi ab infirmato tenore medullæ cerebri, multis verbis amplius non indiget. Conſiſtit illa in prævertendis, arcendis, aut corrigendis, cauſis corporeis, quæ medullam infirmant; in adminiſtrandis remediis, quæ tenori ſolidarum partium favent; tandem in regimine animi. Quæ omnia ex antecedenti doctrinâ facile deſumuntur.

MANTISSA.

PLUS juſtò tenera idearum perceptio, imaginatio luxurians, volubilis aut & fixa attentio, affectiones animi magnæ & crebræ, imagines ac propoſitiones horrificæ, imagines ac propoſitiones inſolentis lætitiæ vel admirationis genitrices, quæ ſunt, ut eſſe perſuaſimus, infirmatæ medullæ conſecutiones, nonne ſufficiunt explicandis animi elationibus inſolitis, quas in ægris & moribundis ſubinde miramur? & qua-

quales ARETÆUS CAPPADOX (1), poſt CICERONEM (2), non ſine declamatoriâ, ut videtur, amplificatione, ſic notavit: „ In qua ardenti febre mortale frigus „ æſtum ſummum excipit", *animus ſtabilis & conſtans eſt: ſenſus omnis purus & integer, ſubtile ingenium, mens vaticinando idonea. Primum quidem ſe ipſos de vitâ migraturos præſentiunt, deinde præſentibus futura denunciant. Nonnulli verò interdum eorum dictis fidem non habendam putant, ſed dictorum eventus homines in eorum admirationem concitat. Aliqui præterea ex his cum quibuſdam vitâ defunctis ſermonem habent, fortaſſe quidem ipſi ſoli præ ſenſus acumine & puritate eos adeſſe cernentes, aut forte ipſorum animo viros cum quibus verſaturi ſunt, prænoſcente atque enarrante. Quippe antea in lutulentis humoribus & caligine demerſus erat; quos ubi morbus exhauſit, & ab oculis tenebras deterſit, quæ in aëre fiunt prædicant, exutoque ſordibus animo, veraciſſimi Vates efficiuntur. Sed quorum ſucci & ingenium adeò extenuati ſunt, ii non diu admodum ſolent eſſe ſuperſtites, quum eorum vitalis potentia jam in aërem ceſ-*

(1) *De cauſis & ſignis morb. acutor. Lib.* II. *Cap.* IV. V. P. PETITUS *in hunc locum.*

(2) *De Divinatione Lib.* I. *Cap.* XXX.

ceſſerit atque abierit. Certè multæ cauſarum, quæ infirma reddunt & irritabiliora ſtamina medullæ cerebri, turmatim hìc præſto eſſe ſolent. Et præſto hìc eſſe ſolent occaſiones indicatarum conſecutionum: Scilicet argumenta ſummi momenti ſecum volvunt & revolvunt morituri. Probabilior autem noſtra ſententia fit ex eo, quod delirio propinqui obſerventur quibus ægrotantibus hæ animi elationes fiunt. Nam qui in acceſſione febrili ultra fidem eloquio valent, hi incongruentia interſerunt, & compoſitâ febre actorum omnium ignari ſunt. Quare mirabilis illa idearum, ratiociniorum, ſermonum, feracitas eidem cauſæ tum adſcribenda videtur, ac vicinum delirium & comes memoriæ labilitas. Ægri, morbo in interitum vergente facundi & magna ſonantes, ipſi ſæpe ſuis cogitationibus & ſermonibus modum imponere neceſſe eſſe ſentiunt, ne in delirium labantur. Plures autem conditiones corporeæ, mutando animo efficaces, eodem facere poſſunt.

Et ſanè nihil hìc ſupra communem humanæ mentis ſortem communiter contingere fideles hæ probant obſervationes: Qui moribundi vigore idearum & affectibus ſacris conditionem humanam exceſſiſſe cre-

derentur, nihilo ſæpe minus inolitorum errorum tenaces ſunt. Et curtâ virtutum ſupellectile inſtructi aliquando gaudia ſumma, ſummas animi elationes, in morte præ ſe ferunt: ut, contra, boni, per illa momenta, nonnunquam inſignibus anguſtiis urgentur.

EMENDANDA.

Pag. 1.	Lin.	9.	*nɔndum* lege *nondum.*
6.		9.	longiſimè *lege* longiſſimè.
13.		11.	Quoniam autem &c. *Hoc principium habeatur novæ lineæ.*
17.	&	18.	gonorrhæa *lege* gonorrhœa.
27.		13.	averſam *lege* ſejunctam.
45.		2.	ἀκριβεία *lege* ἀκρίβεια.
65.		6.	obtinent *adde* , quæ.
68.		7.	acquidem *lege* ac quidem.
76.		22.	pænas *lege* pœnas.
113.		16.	phthyſicis *lege* phthiſicis.
136.		28.	irfirmus *lege* infirmus.